P. C. Margadant

DE LUCIANO

AEQUALIUM SUORUM CENSORE

De Luciano

AEQUALIUM SUORUM CENSORE

DE LUCIANO

AEQUALIUM SUORUM CENSORE

Man sieht durch die Schrifte Lucian's wie durch ein Glas in jenes ganze merkwürdige Zeitalter der Antonine hinein, das sich mit allen seinen Entwicklungskämpfen und Sonderbarkeiten dem Leser aufschlieszt, je weiter er sich in Lucian hineinliest desto deutlicher und vollständiger.

PRELLER in PAULY'S *Real-Encyclopaedie*, IV, p. 117.

DE LUCIANO
AEQUALIUM SUORUM CENSORE

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

T. ZAAYER

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET IN FACULTATE MED. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

PETRUS CORNELIUS MARGADANT

HAGANUS

DIE VII MENSIS JULII A. MDCCCLXXXI HORA III

HAGAE COMITUM
APUD W. P. VAN STOCKUM & FILIUM
MDCCCLXXXI

Dilectissimae Matri

et

Patris Piae Memoriae.

PRAEFATIO.

Antequam ad materiam ipsam quam ad tractandum mihi sumpsi, accedo, pauca mihi videntur praefanda, ut brevi in conspectu ponatur descriptio eius aetatis, qua vixit auctor, ad cujus scripta investiganda meliusque illustranda huncce libellum in lucem edere mihi proposui, et simul ut apparere possit quare eum potissimum elegerim ducem, qui cupidis interioris notitiae eius aetatis viam monstret.

Nulla est fere, in tota antiquitate, aetas difficilior ad penitus cognoscendum quam aetas Antoninorum. Ab initio saeculi cujus partem haudquaquam exiguam Antoninorum aetas sibi vindicat, imperante Trajano, res Romana miti et liberali sed brevi admodum Nervae dominatu paullum convaluerat ex gravissimis vulneribus quae immanis et horrida crudelitas Flaviorum ultimi illi inflixerat. Saeculo secundo p. C. n. pauca memoria digna in republica gesta sunt, si Trajani et Marci Aurelii bella excipimus, neque tamen ea admodum sunt multa.

Trajanus imperii terminos aliquantum propagaverat, eo autem in deorum numerum relato orbis terrarum perdomitus parumper impugnare et rebellare quasi destitit, ut in capite rerum, tamquam in scena, quo gentes universae confluerent, certamen animorum ingens spectarent, qua ex palaestra Christiana doctrina specie sane primas partes haudquaquam agens, victrix discessit. In ea scena inquam jamjam bellum erupturum erat, quod gereretur ad internecionem usque inter antiquas opiniones, de humanis divinisque rebus, antiquitatem denique et «magnum ab integro saeclorum nascentem ordinem» quod spectaculum edebatur, ut Taciti verbis utar «in illa rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet» «cum semianimum lacerasset Flavius orbem, ultimus».

Neque tamen illius certaminis flammae atque ardoris quidquam ii animadvertere et sentire poterant, qui ut vulgus hominum assolet, non nisi dormitantes res, quae circum se geruntur, spectent. Quemadmodum aequor ubi summum adspicias saepe levissima aura perstringitur «imo autem, ut est apud Vergilium, Nereus ciet aequora fundo», sic ea aetate mira serenitas et tranquillitas exstitit, immo ut ita dicam, quoquo oculos vertas, ingeniis plerisque plane deerat subtilitas, animorumque vigor obtusus esse videbatur. Quae ipsa planissime arguebant spiritum meare angustius et non nisi aegre atque graviter e pectore jamjam moriturae evadere. Ubi vere Graeco populo *ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων* et ubi praeclaro Attico sermone pessimi scriptores abusi sunt, elegans Graecorum ingenium exstinctum esse videbatur. Erant sane etiam

illa aetate praeclara ingenia nonnulla quae instinctu quasi divino afflata, probe sentirent et viderent haec omnia ad finem properare et collabi, quorum alius alio modo pro natura et indole cuiusque, omnia quae circum se cerneret, improbaret, reprehenderet, damnaret denique. Tacitus verbis contumeliae plenis et morosis, Iuvenalis, cui ut ipse asserit «difficile erat satiram non scribere» irrisione acerbissima et σαρκασμῷ et noster quoque quamquam acerbitate Iuvenalis nequaquam similis, attamen si quis alius ludificator et irrisor, summo cum fastu et contemptu omnia tractat. Dio Chrysostomus, generosissima indole praeditus, imperium Romanum peragravit ut ubique aspere vehementerque loquendo aequaliumque corruptos mores emendando, moribundam antiquitatem in vitam revocaret. Nec par est, praeterire philosophos illos, stoicos praesertim qui ad virtutem veram ascendere conarentur, nihilque admirando se beatos reddere et servare vellent, nec Cynicos qui sponte in summa paupertate vivendo se sic optime reliquos mortales spernere posse putarent. Ii autem qui minus felicibus ingeniis praediti vivebant ut vulgus hominum vivere solet, tamquam expertia rationis animalia, fugientes quaerere quid cras futurum sit et omnino futuri incuriosi, illa aetate sedulo admirari solebant totum illum gregem importunissimum et ineptissimum sophistarum et rhetorum, qui post Domitiani mortem locustarum instar se effunderent per omnes Romani imperii partes, ut opera et labore suo scilicet Graecae literae renascerentur.

Sed erant medici stupore vulgi nobiles facti qui fere omnes ultra crepidam nihil saperent, et qui hoc unum

Epicuri sedulo tenere et exercere solerent, voluptatem summum esse bonum, quique sub persona philosophi latentes impudentissime tamquam asini leonis pelle induti partes agerent.

De Aetate quam supra brevi in conspectu depingere conati sumus nunc nobis latius et fusius disserendum est, quam ut melius investigare et indagare possimus, Luciani personam elegimus, qui tamen quum nonnumquam modum excedat, et causa male aut omnino non cognita judicem agat non nisi caute adhibendus est. De nullo credo, in tota antiquitate scriptore tam varia tamque diversa aequalium et posterorum extant judicia; fuerunt qui laudibus eum extollerent, alii contra qui non nisi contumeliose de illo locuti sint. Meam de illo post saepius repetitam lectionem sententiam, specimine hoc inaugurali aperire et argumentis, qualiacunque sunt, stabilire et probare conabor, nunc id tantum dicam, Lucianum pro se ipso causam agentem nobilis poetae Gallici verbis uti posse:

J'ose dire pourtant que je n'ai mérité
Ni cet excès d'honneur, ni cette indignité.

In aequalibus censendis Lucianus hoc nomine bene meruit quod ex eo cognoscere possumus quid *οἱ ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου*, quibus ipse diserte se adgregavit, secundo saeculo p. C. n. de iis quae circum se cernerent, sentirent: non ex tripode gravis et severi philosophi instar judicat, id tantum agentis ut suam doctrinam divulget et celebret; verum facetum et dicax ingenium quum

exerceat, nonnumquam in ea re peccat, quod damnat ea, quae parum habet cognita; quod quum facit cum aliis est comparandus ut quid in illis quae proferat, verum, quid non sit, eluceat. Denique is est qui fastidiose omnia fere contemnens attamen nil «rectius istis noverit», eumque igitur optime comparare possis cum parum perito medico qui graviter aegrotanti assidens, hunc fere in modum cum illo ageret: sanare equidem te non possum, quia morbi causam non invenio, attamen magna contumelia verborum afficiamus omnes et omnia, fortasse melius tibi erit, aut saltem non moriere inultus.

De ipsius Luciani vita pauca nobis tradita sunt. Aequales nihil dicunt de eo; sequioris aetatis scriptores, eum ut acerrimum Christianorum et doctrinae Christianae impugnatorem male oderunt, quo factum est ut aut omnino nihil de eo rettulerint, aut si quid dicant, nonnisi contumeliosis verbis mentionem de eo fecerint. Quam ob causam non multum fidei tribuendum est Suidae v. c. testimonio qui eum, quod Christianis male locutus esset, a canibus dilaceratum dixit, *ἐπεὶ κατὰ τῆς ἀληθείας ἐλύττησεν.* [1]) Sed ipse bonus Suidas haec proferens, opinor, *λυττᾷ κατὰ τῆς ἀληθείας*. Nil igitur reliquum est, quam ut judicia Lactantii, Suidae [2])

---

[1]) Sommerbrodt, Ausgewählte Schriften des Lucian. 1es Bändchen p. XI.

[2]) Cf. K. G. Jacob, Charakteristik Lucians von Samosata. p. 4 sqq.

aliorum quibus curae esset eum rodere non unius assis facientes, ex ipsius Luciani scriptis hic illic prolata de auctoris vita expiscari conemur, atque iis breviter expositis rem ipsam aggrediamur. Natus est, ut ipse narrat [1]) Samosatis, in urbe Syriae et admodum duro initio usus est adolescentiae. Audiamus ipsum narrantem in eo dialogo cui titulus *περὶ τοῦ ἐνυπνίου ἤτοι βίος Λουκιανοῦ* parentes in re tenui viventes propterea eum commisisse fratri matris *ἀρίστῳ ἑρμογλυφεῖ,* a quo, cum tabulam quandam confregisset, scutica verberatus arte initiatus sit. Tum si quid illi credimus: *Θεῖός οἱ ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος ἀμβροσίην διὰ νύκτα,* duae mulieres prehensis manibus eum utraque ad se trahebant, quarum una erat squalida, manibus callo plena, et calce referta *οἷος ἦν ὁ θεῖος ὁπότε ξέοι τοὺς λίθους,* altera formosissima facie, habitu decoro, elegantique vestitu. Relicta igitur arte statuaria, illam alteram mulierem, *τὴν Παιδείαν* amplexus est. Si quis autem adolescentulus aetate Luciani *τὴν Παιδείαν* amplecti volebat, itandum erat illi in scholas rhetorum, ubi causas agere et declamare discebant. Si Juvenali et Petronio praesertim quidquam credimus non erat multum tribuendum illis rhetoricis exercitationibus «quia nihil ex iis, quae in usu habemus, adolescentuli aut audiunt aut vident, sed piratos cum catenis in littore stantes, sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pes-

---

[1]) *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν,* C. 24.

tilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa» [1]). Non credo quemquam acrius aut majore cum contemptu, quidquid in rhetorum scholis ea aetate fieri soleret, improbasse quam Juvenalem ubi Hannibalem, summum ducem ita alloquitur. «I demens et saevas curre per Alpes, ut pueris placeas et declamatio fias» [2]). Sed de hoc postea latius erit disserendi locus, in praesentia illa sufficiant. Lucianus igitur ut supra diximus ingressus est eandem viam atque omnes aequales quibus operam dare litteris curae erat; quo loco imbutus sit primis rhetoricae scientiae elementis parum constat, si ipsum ut supra facere instituimus vitam enarrantem audire volumus, ad eam auctoris vitae partem illustrandam inspiciendus erit nobis dialogus cui titulus *Δὶς κατηγορούμενος*. In eo dialogo auctor fingit se a rhetorica reum agi *κακώσεως*. Rhetorica se a Luciano relictam queritur eumque ad Dialogum, Philosophiae filium transiisse. Syrus ille [3]) (nam auctor se ipsum Syri nomine inducit) sic fere Rhetorica loquitur, pro magnis beneficiis in se collatis meritam debitamque gratiam nequaquam rettulit, nam ego eum adolescentem admodum lingua adhuc barbarum, Assyrio more vestitum et circa Joniam oberrantem, neque quid se faceret, satis adhuc certum, assumpsi atque institui. Bonus Suidas qui nonnumquam, opinor, scire

---

1) Petron. ab initio.
2) Sat. X, 166.
3) Bis accusatus C. 27.

sibi videtur *ὡς Ζεὺς ἤγαγεθ' Ἥρην* eum causidicum Antiochiae fuisse tradit. Fieri potest sed ipse nihil de ea re nobis narravit usquam. Ex Rhetoricae verbis supra laudatis colligendum est potius eum *κομιδῇ μειράκιον ὄντα* per Joniam oberrantem Ephesi aut Smyrnae quo omnes qui litteris operam darent, ea aetate confluerent studiis inserviisse. Sed Rhetorica indignabunda iterum nobis testis citanda est de vita Luciani: Visum est, inquit, illi circumire ad divites nuptias ostentandas (*ἐπιδειξομένῳ τοῦ γάμου τὴν εὐποτμίαν*) et ne tum quidem eum dereliqui sed ubicumque illum secuta, sursum deorsum me circumduci passa sum. Iter cum illo feci per Joniam et per Graeciam et quum Italiam quoque adire vellet mare Jonium cum eo trajeci *καὶ τὰ τελευταῖα μέχρι τῆς Κελτικῆς συναπάρασα εὐπορεῖσθαι ἐποίησα,* quae narratio dempto fuco et ornamento rhetorico, communi illius aetatis vitio, nihil aliud significat nisi hoc: Lucianus, ab ineunte adolescentia praeceptis rhetoricis imbutus, ut P. Aelius Aristides, ut Dio Chrysostomus alii multi peragravit imperium Romanum solis ab ortu ad occasum ut recitando et declamando victum sibi quaereret. Ipse narrat se rhetorices nomine maximas *publice* (*δημοσίᾳ*) mercedes cepisse [1]) inque numero eorum sophistarum numeratum esse quos ipse *μεγαλομίσθους* designet. Fortasse igitur adscriptus erat illorum gregi qui divi Vespasiani munificentia atque liberalitate annuis centenis

[1]) Apol. pro merc. cond. Cap. 15.

e fisco docebant [1]) cujus mercedis ipse mentionem facit in eo dialogo cui nomen Eunuchus inditum est, ubi duos philosophos de annuis iis salariis rixantes et contendentes inducit.

Pertaesum est autem Lucianum, candidum pectus et veri amatorem, *ὡς οὐδενὸς δεύτερος*, fucatae et ampullatae illius rhetorices, quam ut ipse in supra laudato dialogo [2]) profitetur, semper videbat multum abhorrentem ab illo decenti habitu *οἷόν ποτε ἐσχηματισμένην αὐτὴν ὁ Παιανιεὺς ἐκεῖνος ἠγάγετο*, semperque more meretricio sese ornantem, faciem fuco oblinentem et genas pingentem, ad cujus domum singulis noctibus ebrii amatores comissatum ire cumque ea adulterium committere solebant. Ad Dialogum igitur se convertit. Neque ille quidem injuria, si quis inspicit non tantum Luciani sed aequalium, Juvenalis, Martialis, scripta, videbit mores illius aetatis rhetorum haud minima labe, esse aspersos, qui autem ipsi semper « aliquid, de moribus audebant, Curios simulabant et Bacchanalia vivebant. » Ardore igitur illo juvenili quodammodo sedato *καλῶς εἶχεν αὐτῷ ἀνδρὶ ἤδη τετταράκοντα ἔτη σχεδὸν γεγονότι θορύβων μὲν ἐκείνων καὶ δικῶν ἀπηλλάχθαι..... ἐς δὲ τὴν Ἀκαδήμειαν ἢ ἐς τὸ Λύκειον ἐλθόντα τῷ βελτίστῳ τούτῳ Διαλόγῳ συμπεριπατεῖν ἠρέμα διαλεγομένους, τῶν ἐπαίνων καὶ κρότων οὐ δεομένους* [3]). Quem

---

[1]) Suet. Div. Vesp. Cap. 18.

[2]) Bis accusatus; Cap. 31.

[3]) Bis accusatus, Cap. 32.

autem Dialogum, ad eum usque diem gravem atque venerabilem et non nisi de dis et de universa rerum natura disputantem, a nubibus detractum, confractis alis ad vulgi consuetudinem detrusit, illique dempta illa tragica persona, comicam et satyricam imposuit, quales Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae componere solebant [1]. Non tantum autem mordacibus jocis antiquae Atticae comoediae perfricuit Dialogum sed ad eum Menippum quoque *τῶν παλαιῶν κυνῶν τινα* introduxit.

Quadraginta igitur annos natus, diu multumque vagatus Lucianus uno in loco vivere et commorari constituit. Semel atque iterum Romam viderat sed «quando artibus honestis nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum» vita urbana ei haudquaquam placebat. Via Egnatia [2] igitur profectus Thessalonicam pervenit [3] ubi coram frequentissimo auditorio *ὅτι περ ὄφελος ἐξ ἑκάστης πόλεως* declamabat. Omnes ad unum qui de Luciani vita scriptum aliquid reliquerunt, quos quidem mihi inspicere contigerit, eum Athenis vixisse narrant [4], quam urbem semel atque iterum laudibus extollit. Quamquam ipse nusquam pro certo affirmat, tamen conjectura admodum probabili hac in re «est quadam prodire tenus», atque ex diversis Luciani locis

---

[1] Ibid. Cap. 33.

[2] Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer, II, 430.

[3] Herod. siv. Aëtion, Cap. 78.

[4] Cf. Sommerbrodt, Allg. Einleitung, p. XIV. — Hertzberg, II, 430. — Martha, Les moralistes sous l'empire Romain, 341.

inter se comparatis satis patet auctorem Athenis (*αἱ λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι καὶ τῆς Ἑλλάδος ἔρεισμα* [1]), domicilium sibi constituisse. Qua ex urbe animi causa saepe excurrens, reliquam quoque Graeciam visebat, et ut ipse memorat, quater in splendido Olympico certamine spectator fuit [2]. Neque tamen senectus placida atque quieta Lucianum manebat, sed quum premeretur paupertate et quia ut ipse hilariter atque jocose *παρῳδῶν τὴν τοῦ Εὐριπίδου Μήδειαν* memorat, *πενία δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων* [3], ausus est subductum olim navigiolum iterum deducere et pro copia instructum in medium mare dimittere. Ad ultimum tamen illi in re tenui versanti, atque errabundo ut antea, munificentia Caesaris munus publicum delatum est. Ea quoque de re ipsum audiamus. *Ἔγωγ' οὖν εἰ σκέψαιο, δόξαιμ' ἂν σοι οὐ τὸ σμικρότατον τῆς Αἰγυπτίας ταύτης ἀρχῆς ἐγκεχειρίσθαι, τὰς δίκας εἰσάγειν καὶ τάξιν αὐταῖς τὴν προσήκουσαν ἐπιτιθέναι καὶ τῶν πραττομένων καὶ λεγομένων ἁπαξαπάντων ὑπομνήματα γράφεσθαι καὶ τάς τε ῥητορείας τῶν δικαιολογούντων ῥυθμίζειν καὶ τὰς τοῦ ἄρχοντος γνώσεις πρὸς τὸ σαφέστατον ἅμα καὶ ἀκριβέστατον σὺν πίστει τῇ μεγίστῃ διαφυλάττειν καὶ παραδιδόναι δημοσίᾳ πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον ἀποκεισομένας* [4] ..... *καὶ τὰ μετὰ ταῦτα*

---

[1] Demosth. Encomium, Cap. 10.
[2] De morte Peregrini, Cap. 35.
[3] Apol. pro merc. cond. Cap. 10. — Cf. Herc., Cap. 8.
[4] Ibid. Cap. 12. — FRIEDLÄNDER, Darstellungen u. s. w.

δ' οὐ φαῦλαι ἐλπίδες, εἰ τὰ εἰκότα γίγνοιτο, ἀλλ' ἔθνος ἐπιτραπῆναι ἢ τινας ἄλλας πράξεις βασιλικάς. An ad illum gradum ascenderit nescimus. Neque pro certo affirmandum est quo imperatore Lucianus mortuus sit. Si tamen hac in re conjectura satis utique probabili aliquid assequendum est, e loco in eo libello cui nomen «Alexander seu Pseudomantis» ubi loquitur de Marco Aurelio quasi de «divo» eum usque ad Commodi regnum vixisse satis constat [1].

Quibus utcumque de Luciani vita in medium prolatis nunc ad opus ipsum me accingor et juvat ingentem materiam dividere in partes duas hasce:

I. Judicium quod auctor tulit de rebus sacris atque divinis.

II. Judicium quod tulit de philosophis et rhetoribus, de tota eruditione et doctrina denique.

I, p. 91, in secunda editione vocabulum Αἰγυπτίας in iis quae supra laudavi deleri jubet et Lucianum a cognitionibus fuisse apud ipsum Caesarem perhibet, quod illi perhibere quam probare ut mihi videtur facilius est: nunc ejusdem libri quartam editionem, anno 1873 in lucem editam nactus vidi de omni isto dubio antea moto ne verbo quidem mentionem esse factam (p. 108), intellexit igitur, opinor, ipse se inconsulte sana et integra ejicere et resecare conatum esse.

[1]) Alexander seu Pseudomantis, Cap. 48 ὁ θεὸς Μάρκος. Cf. SOMMERBRODT, I, p. XV.

CAPUT PRIMUM.

Inspicientibus libellos qui ad hanc primam partem illustrandam pertinent dilucide patebit Lucianum illos scribendo *πόλεμον ἄσπονδον καὶ ἀκήρυκτον* indixisse dis et deabus quos antiqui Graeci colere solebant. Non longis ambagibus verborum, opinor, opus erit ad hanc rem probandam. Implacabile odium et fastidiosus contemptus vel ex conviciis quibus deos deasque in scenam prodeuntes uti fingit satis superque apparent. Omnes enim, Juppiter et Juno et ceteri *μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες* verbis admodum humi repentibus et de trivio sumptis inter sese confabulantur. In undecimo dialogo verbi causa audimus Venerem Lunae dicentem se filii sui Cupidinis saepe arcum et pharetram confracturam minatam esse, nisi desistat clandestina furta in re amatoria facere, et addit post pauca: *ἤδη δὲ καὶ πληγὰς αὐτῷ ἐνέτεινα ἐς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ.* In decimo sexto ejusdem libelli dialogo Juno et Latona *λοιδοροῦνται ὥσπερ ἀρτοπώλιδες;* rixa orta est inter eas de liberis utriusque. *Καλὰ μὲν* Juno inquit, *ὦ Λητοῖ, καὶ τὰ τέκνα ἔτεκες τῷ Διί* et Latona *οὐ πᾶσαι, ὦ Ἥρα, τοιούτους*

τίκτειν δυνάμεθα οἷος ὁ Ἥφαιστός ἐστιν. Ad quod Juno Latonae liberos Dianam et Apollinem onerat maledictis illam Scytharum instar hominibus vesci perhibens, hunc ὃς προσποιεῖται πάντα εἰδέναι καὶ τοξεύειν καὶ κιθαρίζειν καὶ ἰατρὸς εἶναι καὶ μαντεύεσθαι καταστησάμενος ἐργαστήρια τῆς μαντικῆς consulentes frustrari objurgans, quippe qui obliqua et ambigua respondeat ὡς ἀκίνδυνον εἶναι τὸ σφάλμα. Nec praetereundus est dialogus, decimus septimus ubi mentio fit de concubitu Martis et Veneris. Conferat mihi aliquis spurca illa et obscena vocabula cum illis hexametris Homericis in libro octavo τῆς Ὀδυσσείας ubi eadem lepida et festiva simplicitate a summo poeta narrantur. Apud Homerum ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν ubi vident Martem et Venerem concumbentes vinculis Vulcani constrictos esse, sed quid deprehensi in adulterio ipsi oculis cachinnantium deorum expositi fecerint aut dixerint poeta consulto ne verbo quidem narrat. Apud Lucianum contra ἐπεὶ ἐν ἔργῳ ἦσαν et deprensi erant, Venus — καὶ γὰρ ἔτυχε γυμνὴ οὖσα (sat credimus etiamsi non affirmasset) οὐκ εἶχεν ὅπως ἐγκαλύψαιτο αἰδουμένη, ὁ δὲ Ἄρης τὰ μὲν πρῶτα διαφυγεῖν ἐπειρᾶτο καὶ ἤλπιζε ῥήξειν τὰ δεσμά, ἔπειτα δὲ συνεὶς ἐν ἀφύκτῳ ἐχόμενον ἑαυτὸν ἱκέτευεν, et quid tum, quaerit Apollo ex Mercurio quid tum factum est, absolvitne eos Vulcanus. Ad quod Mercurius: Nondum, sed ubi dei in unum convenerunt illi ambo nudi κάτω νενευκότες ξυνδεδεμένοι ἐρυθριῶσι

Lippis atque tonsoribus in antiqua Graecia notum erat Minervam ex ipsius Jovis capite procreatam esse, sequiores addere et adfingere solebant caput Jovis, ut

Minerva prodiret, a Vulcano securi esse percussum. Nunc audi Lucianum eandem rem narrantem et comperies hunc partum Jovis statim in ridiculum converti. Postquam in dialogo octavo narravit Vulcanum Jovem adiisse cum ingenti securi, eumque pro mercede obstetricia a Jove petivisse ut recens nata Virgo sibi desponderetur, in sequenti auctor in scenam introducit Neptunum et Mercurium. Neptunus quaerit ex Mercurio an Juppiter copiam sui faciat, se enim cum illo colloqui velle. Fieri non potest respondet Mercurius. Ad quod Neptunus: Qua de re? inquit, *μῶν τῇ Ἥρᾳ σύνεστιν;* Longe aliud quiddam est, inquit Mercurius. — Nept. Intellego, Ganymedes intus est. — Quod iterum negat Mercurius. Magis magisque instanti Neptuno tandem Mercurius profitetur palam, quamvis pudeat id eloqui: *Τέτοκεν ἀρτίως. ΠΟΣ. Ἄπαγε, τέτοκεν ἐκεῖνος; ἐκ τίνος; οὐκοῦν ἐλελήθει ἡμᾶς ἀνδρόγυνος ὤν; ἀλλ' οὐδὲ ἐπεσήμηνεν ἡ γαστὴρ αὐτῷ ὄγκον τινά.* Deinde sequitur narratio de Semele fulmine percussa et de Baccho foetu septimenstri in Jovis femur insuto; Mercurius a Neptuno discedit ut aquam petat et cetera curet *ἃ νομίζεται ὥσπερ λεχοῖ.* Si omnia haec apud alios scriptores qui de rebus supra laudatis mentionem fecerunt legimus, poetas dico, res eaedem, alio modo narratae, parum aut nihil habent in se ridiculi. Lucianus, narrationes de dis deabusque quamquam prorsus immutatas, sicuti in ore populi versabantur, nobis tradidit, tamen quod ea quae nonnisi verbis supra soccum assurgentibus et colore tragico vel epico infecta legere solemus, vulgari et populari lingua protulit, quum idem facere videtur atque poetae, revera idem non facit. Ubi di deaeque, quos antiqui Graeci

non nisi humana specie sibi animo fingere potuerant [1]) quosque plane iisdem ac homines affectibus pronos et obnoxios esse crediderunt, insuper loquuntur vel garriunt potius tamquam homines de plebecula, iis quoque quae dicunt non nihil de dignitate deperdunt cum facta eorum saepius omni dignitate carent. Quod Homerus et antiquissimus quisque poetarum, opinor, intellexit ubi non uno loco deos humana quidem specie sed ingenti magnitudine vel robore praeditos esse praedicat. Libenter Homero antiquisque poetis damus simplicitatem poeseos, et concedimus, attamen mirum in modum commovemur, et reverentia fere dicam imbuimur ubi legimus Jovem capite nutantem magnum Olympum tremefacere, vel Martem vulneratum clamorem tollere qualem novem vel decem milia hominum, vel ubi ut ad *πατέρα ἀνδρῶν τε θεῶν τε* redeamus illum gloriantem audimus se catena terram et mare cum omnibus dis deabusque nullo negotio attollere posse.

Sed jamjam relictis colloquiis deorum proprie dictis transgrediamur ad eos Luciani libellos ubi dei et Juppiter imprimis tamquam litigans rhetor vel causidicus certat cum nescio quo de honore et dignitate sua.

Non facile, credo, quisquam acerbiora et mordaciora verba in medium proferre potest, quam Luciani convicia et maledicta quibus rodit Jovem in prologo eius libelli cui nomen *Δὶς κατηγορούμενος*. Quamquam ad caput alterum, de eo libello plura dicere mihi in animo

---

[1]) Cic. de Nat. deor. I, § 46 sq.

est, juvat tamen hic delibare nonnulla de eius praefatione ubi misellus Juppiter se omnipotentem esse conqueritur. Quae ipsa commodissime me ducent ad reliquos quos supra designavi libellos in quibus «hominum sator atque deorum» se ipsum contra argutias et ambages sophistarum defendere coactus est. Statim ab initio igitur in «Bis accusato» Juppiter, Pessimis exemplis, inquit, dispereant philosophi, qui felicitatem solum apud nos deos esse contendant. Dein memorat negotia et molestias cuiusque dei quae hominum causa suscipere et ferre coacti sunt et addit: *καίτοι τὰ μὲν τῶν ἄλλων μέτρια· ἐγὼ δὲ αὐτὸς ὁ πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ ὅσας μὲν ἀηδίας ἀνέχομαι, ὅσα δὲ πράγματα ἔχω πρὸς τοσαύτας φροντίδας διῃρημένος.* Sexcenta, ita pergit, mihi quotidie peragenda sunt, *οὐ γὰρ μόνον τὰ κεφάλαια ταῦτα τῆς διοικήσεως* ut pluviae, grandines, venti et fulgora mihi ordinanda et administranda sunt, verum oportet me et haec facere et eodem tempore usquequaque respicere. Non modo omnipotentem me esse oportet sed etiam, quod est laboriosissimum, ubique adesse. *Ἢν γάρ τι καὶ μικρὸν ἐπινυστάξωμεν, ἀληθὴς εὐθὺς ὁ Ἐπίκουρος, ἀπρονοήτους ἡμᾶς ἀποφαίνων τῶν ἐπὶ γῆς πραγμάτων καὶ ὁ κίνδυνος οὐκ εὐκαταφρόνητος, εἰ ταῦτα οἱ ἄνθρωποι πιστεύσουσιν αὐτῷ,* et enumerat quibus commodis ipse et reliqui dei carerent, si omnes Epicuri doctrinam amplecterentur. Quae quum sentire Jovem Lucianeum ut ita dicam videmus, est sane minime mirandum eum ad extremum redigi cum aliquis ex illa turba sophistarum cum eo in palaestram descendit eumque redarguere et refutare conatur. Quod ipsum nobis

depingit auctor in «Jove confutato.» Vel in horum duorum vocabulorum arta conjunctione acerbissima inest contumelia. Prodit in scenam Cynicus philosophus, quae secta imprimis importunitatis et insolentiae nomine male audiebat. Interrogat Jovem de potestate Fati et Parcarum. Frustra deus identidem irascitur et ira commotus exclamat: *οἶδα ὅθεν σοι τὰ κομψὰ ταῦτα ἐρωτήματά ἐστι παρὰ τῶν καταράτων σοφιστῶν οἳ μηδὲ προνοεῖν ἡμᾶς τῶν ἀνθρώπων φασίν* acerrimosque cruciatus intentat sophistis. Cynicus tamen ira Jovis nil quidquam commovetur, sed placide confabulari et percontari pergit de potestate Parcarum, quarum deos famulos et ministros esse demonstrat, et propter ea fatum unicum deum esse habendum quippe quae sit *ἡ μὲν ναυπηγουμένη ἕκαστα,* dis utens pro securibus ac terebris. Magis magisque di ab importuno philosopho dilacerantur et contumeliis perstringuntur ita ut Juppiter in omnium rerum desperatione exclamare coactus sit *μάτην θεοί ἐσμεν .... καί μοι δοκεῖς εἰκότως μου καταφρονεῖν, ὅτι κεραυνὸν, ὡς ὁρᾷς, διηγκυλωμένος ἀνέχομαί σε τοσαῦτα καθ' ἡμῶν διεξιόντα.* Ad quod philosophus placide ut ante, Feri, Juppiter; si mihi est ita fato comparatum ut fulmine percutiar, nec te plagae illius accusabo sed Clotho per te vulnerantem. Ne Tartari quidem cruciatus allatrantem Cynicum de gradu depellere possunt. Cujus conviciis et maledictis Juppiter tandem cedit audacem et sophistam eum appellans. Cynicus autem, ut profanum vulgus semper et ubique locorum facere solet, ne tum quidem obloqui et conviciari destitit sed addit inter reliqua: *τὰ λοιπὰ δ' ἴσως οὐχ εἵμαρτο ἀκοῦσαί μοι.*

A Jove confutato transeamus ad Jovem tragoedum.

Non erat, credo, in Graecia in illa effusa ab omni fuco aliena libertate et simplicitate loquendi, qua uti egregie cordatis hominibus semper mos erat *τὸ σῦκον σῦκον, τὴν σκάφην σκάφην* semper *λέγουσι,* verbum ullum foedius et despicatius quam illud ipsum *τραγῳδεῖν.* In ore est omnium et significat nonnumquam fere idem ac *ληρεῖν,* hoc est: tragicis et fictis vocabulis exaggerare aliquid et delirare denique. In illo Luciani dialogo, de quo nunc pauca dicere in animo est, *ὁ Ζεὺς τραγῳδεῖ.* Statim ab initio admodum ponderosis et sesquipedalibus vocabulis ex Homero et tragoediis desumptis di inter sese confabulantur, quia ut Juppiter demonstrat *ἐν ἐσχάτοις τὰ θεῶν πράγματα* versantur propter contentionem duorum litigantium philosophorum. In Piraeo enim rixantur Timocles Stoicus et Damis Epicureus *περὶ τῆς προνοίας.* Damis nec esse deos perhibet, neque omnino ea quae fiunt inspicere aut curare. Notum erat illud Epicuri *οὐκ ἔστι πρόνοια.* (*οὐδὲ πόρνης δόγμα* additur apud Gellium). [1]) Juppiter metu excruciatur ne, ut ipse profert, omnes homines credant Damidi et diis debitos honores et sacrificia abnuant: *εἰ δ' οὗτοι πεισθεῖεν ἢ μηδὲ ὅλως ἡμᾶς εἶναι ἢ ὄντας ἀπρονοήτους εἶναι σφῶν αὐτῶν, ἄθυτα καὶ ἀγέραστα καὶ ἀτίμητα ἡμῖν ἔσται τὰκ γῆς καὶ μάτην ἐν οὐρανῷ καθεδούμεθα λιμῷ ἐχόμενοι.* Quo metu perculsus deos omnes et deas convocat in contionem ut quid arduo illo negotio faciendum sit deliberent. Oritur inter deos ipsos rixa futilis quis haberet *προεδρίαν,* nam Mercurius illos jussu Jovis *πλουτίνδην*

---

1) N. A. IX, 5.

ἀλλὰ μὴ ἀριστίνδην [1]) collocat, i. e. ut is habeat sedem priorem, qui ab artificibus humanis splendidior elaboratus sit: v. c. Mercurius ad Neptunum ita dicit: ἀλλὰ σὲ μὲν ὦ ἐννοσίγαιε, χαλκοῦν ὁ Λύσιππος καὶ πένητα ἐποίησεν. Rixa utcumque sedata et silentio imposito turbulentae concioni tamquam plebecula esset romana Διανομάς, διανομάς· ποῦ τὸ νέκταρ; ἡ ἀμβροόσία ἐπέλιπεν clamitanti, Juppiter ipse verba facere aggreditur, sed statim initio orationis haeret et balbutit, quia totius proemii oblitus est. Mercurius autem, vafer ut solet, ei suadet modo rhetorum aliquid desumere ex Demosthenis quadam oratione. Cui consilio obsecutus Juppiter optimus maximus consarcinat ex primae Olynthiacae initio verba illa quibus olim summus orator dormitantes suos aequales contra Philippum armare et incitare conatus erat. Sed bonus Juppiter, quem paullo obliviosiorem jam supra vidimus, eloquentia Demosthenem jam amplius assequi non potest et addit mira et candida simplicitate, ut deus scilicet, καὶ γὰρ ἐπιλείπει με ὁ Δημοσθένης. Post multas autem ambages ad rem ipsam propter quam concio deorum convocata erat accedit: Omnes di deaeque invitati erant ad coenam apud Mnesitheum nauclerum in Piraeo. Post libationes, inquit, vos alio alius discessistis (et erant in Piraeo sane deversoria paullo liberiora nonnulla) sed ego ad Ποικίλην audivi philosophos rixantes de ea re quam supra dixi et

---

[1]) Sequuntur etiam vocabula καὶ ἀπὸ τιμημάτων, sed prorsus assentior J. J. Hartman viro doctissimo ea vocabula tamquam insulsum emblema expungi jubenti.

populum Damidi Epicureo assentientem. Postquam Juppiter peroravit quoque in periculo res divinae versarentur exposuit, tamquam in concione attica τῷ βουλομένῳ οἷς ἔξεστι τῶν τελείων θεῶν a Mercurio verba faciendi potestas datur et omnibus conticentibus tandem surgit Momus, qui deorum culpa fieri asseverat quod philosophi et Epicurei praesertim talia dicunt, quum omnium rerum perturbationem in vita observant videntque maleficos non poenas luere, probos autem in adversis rebus teneri. Ad quod Juppiter: τοῦτον μέν, ὦ θεοί, ληρεῖν ἐάσωμεν, ἀεὶ τραχὺν ὄντα καὶ ἐπιτιμητικόν et denuo citat Demosthenem. Variae atque multiplices sententiae deinde dicuntur. Neptunus et Hercules gravius in philosophos animadvertendum esse censent, sed est operae pretium verbo narrare de Momi et Apollinis rixa; Momus enim Apollinem vituperat laudantem dilucide dicentes quum ipse in oraculis semper obliquus et ambiguus sit: ad quod refellendum Apollo vaticinari incipit Quo oraculo Lucianus lepidissime παρῳδεῖ ambigua et obscura illa oracula qualia apud Herodotum, alios passim offendimus. Ad ultimum autem di quemadmodum in bello Trojano saepe rerum quae agebantur spectatores fuerunt, nunc litis auditores esse constituunt et Juppiter hortatur eos precari pro Timocle acerrimo deorum propugnatore: εὐχώμεθα ὑπὲρ αὐτοῦ

σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Δᾶμίς γε πύθηται.

Sed preces illae deorum non multum optimum Stoicum adjuvant, brevi post enim argumentando a Damide vincitur et abit convicia foedissima in adversarium jaciens et Juppiter ipse quamquam Damidis victoris argumentis plane

nullus factus est, exclamat tamquam alter Darius de Zopyro: Malim unum talem habere qualem Damidem auxiliatorem, quam sexcentas mihi Babylones esse.

Cum Jove tragoedo commodissime conjungitur parva illa disputatio cui nomen *Θεῶν ἐκκλησία*. In Jove tragoedo enim semel atque iterum mentio fit de ea re propter quam Deorum concio scripta esse videtur, i. e. de dis peregrinis (*περὶ τῶν μετοίκων καὶ ξένων*). Exponamus quid auctor de ea re in utroque libello dixerit ut omnibus dialogis qui ad hanc primam partem pertinent breviter expositis latius disserere et explicare possimus qua de re quidque dixerit vel attigerit, simulque ut apparere possit, collatis aliorum eiusdem aetatis scriptorum testimoniis an Luciani fide et judicio standum sit.

Quemadmodum Athenis quondum florentibus multi fraude et fallaciis in civitatem irrepserunt, sic quoque apud nostrum *ἐν τῇ τῶν θεῶν ἐκκλησίᾳ* multos esse in coelo *παρεγγεγραμμένους* deos legimus et propter eam rem Lucianus concionem haberi fingit. Momus, ut nomen indicat vituperator acerrimus, queritur de ea re et nominatim recitat deos nonnullos, quibus aetate Luciani fides habebatur quique honoribus divinis ut *οἱ τέλειοι θεοί* coli solebant. Est operae pretium nomina cognoscere. Quaerit Momus ex Jove *Ἀλλ' ὁ Ἄττις γε, ὦ Ζεῦ, καὶ ὁ Κορύβας καὶ ὁ Σαβάζιος πόθεν ἡμῖν ἐπειςεκυκλήθησαν οὗτοι ἢ ὁ Μίθρης ἐκεῖνος ὁ Μῆδος ὁ τὸν κάνδυν καὶ τὴν τιάραν οὐδὲ ἑλληνίζων τῇ φωνῇ, ὥστε οὐδὲ ἢν προπίῃ τις ξυνίησι;* et post pauca etiam addit Scythicum quemdam in civitatem coeli irrepsisse deum, *τὸν Ζάμολξιν*. Vere Juvenalis indignabundus ut fere semper exclamavit:

Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
et linguam et mores et cum tibicine chordas
obliquas nec non gentilia tympana secum
vexit et ad circum jussas prostare puellas.

Duobus vel tribus saeculis ante Lucianum numerus deorum quem Romani colere solebant auctus erat. Non tantum numina illa quae Momum supra recitantem audivimus, sed Isis, Osiris, Anubis, Bendis, Deus Lunus [1] (*ὁ Μὴν*), confluxerant ad urbem, dignum, ut Ovidius ait, locum quo deus omnis eat. Jam apud Ciceronem nonne legimus Ennium dicentem, se non timere neque nauci habere «Isiacos conjectores» [2]? Passim apud scriptores Lucianum aetate antecedentes, v. c. apud Plutarchum, offendimus cultus deorum peregrinorum; piratae peregerunt in Olympo peregrina quaedam sacra ritusque arcanos, *ὧν ἡ τοῦ Μίθρου καὶ μέχρι δεῦρο διασώζεται καταδειχθεῖσα πρότερον ὑπ' ἐκείνων* [3]. Solebant Luciani aequales et sequioris aetatis homines promiscue deos antiquos Romanos eosque, qui a Momo *παρεγγεγραμμένοι* audiunt, colere et venerari. In vita Marci Antonini a Julio Capitolino conscripta legimus Antoninum commotum esse tam vehementer terrore belli Marcomannici ut undique sacerdotes acciverit, *peregrinos ritus impleverit* [4].

---

[1]) Cf. Jov. Tragoed. C. 8.

[2]) Cic de Divinatione. I, 58.

[3]) Plut. Vita Pompeji. 24.

[4]) Jul. Capitol. Vita M. Ant. Cap. 13. — Cf. etiam Juven. Sat XIII, 46 *turba deorum.*

Non modo autem, sic Momus fere pergit in supra laudato libello, est infinita deorum copia sed Trophonius quoque et quod maxime me vexat et angit, Amphilochus, sacerrimi hominis et matricidae filius, oracula fundit, beatus ille in Cilicia, mentiens, plerumque et praestigiis duorum obolorum causa fallens. Amphilochus quis fuerit vel ex Strabonis loco discere possumus (Strabo XIV, C. 675, Ed. Meineke), de illo autem et oraculo eius nonnisi sparsae narrationes ad nos pervenerunt: quod longe aliter est in Trophonio. Illius oraculi studiosos optime delegare possumus ad Strabonem [1]) ubi *Ζεὺς Τροφώνιος* appellatur, et ad Pausaniam qui *ἐν τοῖς Βοιωτικοῖς* de oraculo et nonnulla delibavit et qua causa repertum sit ea narrat quae certe eo tempore in ore populi essent [2]). Oraculum magni fieri et eo tempore et jamdiu antea conjicere licet ex iis quae Herodotus de ea re literis mandavit [3]). Plutarchi aetate quum omnia fere oracula cessassent et contempta jacerent Trophonii Lebadeae oraculum floruit et in existimatione omnium erat: nam id saltem expiscari et conjici licet ex graviter depravato Plutarchi loco in libello cui nomen *περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων* [4]).

Quibus de oraculis et deorum cultu in medium prolatis

---

1) IX, p. 414.

2) Pausan. IX, 39, 40.

3) Herod. VIII, 134. — Pausan. IV, 32.

4) Cap. 5. — Cf. omnino de ea re Schoemann, Griechische Alterthümer, II, p. 336. sqq. et Luc. Dial. Mort. III.

sponte ducor ad Nostri libellum ubi aliud oraculum mendax sane et nullius momenti sed superstitionem et credulitatem, quales tempore Luciani vigebant, planissime arguens vivis coloribus depingitur: ad Alexandrum sive Pseudomantin [1]).

Rogatu amici cuiusdam Lucianus conscripsit vitam et mores impudentissimi illius fraudatoris, a quo paene interfectus est. Erat Alexander corpore magno et specie honesta *καὶ θεοπρεπὴς ὡς ἀληθῶς*, colore candido, mento non nimis hirsuto, comatus tum sua coma, tum ascita sed ita praeclare verae assimilata ut plerosque alienam esse lateret, oculis voce suavissima vegetis. Ad has formae et corporis dotes accedebant magna sollertia, capax memoria ac ingenium, sed hac omni tam corporis quam animi praestantia turpissime abutebatur. Adolescens se dediderat praestigiatori cuidam *τῶν μαγείας καὶ ἐπῳδὰς θεσπεσίους ὑπισχνουμένων* qui eo adjutore, famulo et abjectissimae libidinis ministro uti solebat. Magister ille et amator Alexandri erat ex familiaribus Apollonii Tyanei *τῶν τὴν πᾶσαν αὐτοῦ τραγῳδίαν εἰδότων*. *Ὁρᾷς*, Lucianus mordaciter addit, *ἐξ οἵας σοι διατριβῆς ἄνθρωπον λέγω*. Magico illo amatore mortuo Alexander offendit fortuito Byzantinum quendam annalium scriptorem nequitia haudquaquam se inferiorem cumque eo societatem iniit. Ambo improbi illi circulatores in Bithynia pervenerunt in intimam familiaritatem mulieris cuiusdam ex Macedonia quae amabilis etiamnum esse vellet, et quacum Pellam venientes forte

---

[1]) Cf. Hertzberg. Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer, II. 498, 599.

viderunt angues quosdam ingenti specie sed natura cicuri et mansueta, quorum magno numero paucis nummis sibi comparato, Alexander et socius cui nomen erat Cocconas inter se deliberabant de oraculo constituendo probe scientes, ut Lucianus ait, *τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ὑπὸ δυοῖν τούτοιν μεγίστοιν τυραννούμενον ἐλπίδος καὶ φόβου.* Constituitur hoc oraculum auctore Alexandro in patria eius *ἐν τῷ τοῦ Ἀβώνου τείχει,* quae est urbs in Paphlagoniae ora maritima. Quum adhuc Chalcedone versarentur fama totam Asiam percurrit Aesculapium cum patre Apolline in Pontum venturum et Aboni castrum habitatum concessurum esse. Quo cum venissent Alexander qui se nunc Podalirii filium praedicabat et semper prodiret purpurea veste indutus et capillo promisso, ingenti confluente hominum multitudine, e terra eruit unum ex serpentibus Pella advectis quem recentem natum Aesculapium esse dixit. Non ita multo post. Cocconas fato functus est et Alexander solus oraculorum officinam ut ita dicam administrabat. Fundebat oracula semper omnibus qui consultum venerunt, primum *τοῖς Παφλαγόσι καὶ Ποντικοῖς ἐκείνοις παχέσι καὶ ἀπαιδεύτοις ἀνθρώποις,* paullatim autem ex Bithynia Gallograecia et Thracia confluxit credula turba modo natum deum salutare cupiens. In oraculis edendis Alexandri machinatio haec erat: Venire solebant homines cum obsignatis tabellis, Alexander autem excogitatis diversis solvendi sigilla modis interrogationes singulas legere solebat et quae viderentur respondebat, tum tabulas iterum involutas et obsignatas reddere solebat consulentibus, quae responsa ipsa obscura et ambigua erant, *χρησμῳδικὸν γὰρ ἐδόκει αὐτῷ καὶ τοῦτο.* Soli Epicurei philosophi *ἄσπονδον καὶ ἀκήρυκτον*

πόλεμον Alexandro intulerunt, quippe qui, ut Lucianus addit, magistro obsecuti rerum causas cognoscerent. Si tamen nihil aliud mali ex illa re effluxisset quam ut fraudator sagax ille quidem ditasset se credulitate et stoliditate popularium et finitimarum civitatum incolentium, esset quod Paphlagonum, et ceterorum pingue ingenium deridere posses, at malum illud latius serpsit. Severianus quidam natione Gallus, dux legionis Romanae contra Vologaesum Parthorum regem missus, exercitu devicto ipse sagittis hostium confossus erat Elegiae in oppido quodam Armeniae [1]). Profectus erat ad hanc expeditionem monitu oraculi Alexandri. Nec id satis erat, usque in Italiam oraculi fama percrebruit et Romani ipsi, ut semper superstitioni dediti et « paullo infirmiores », festinabant ad oraculum consulendum. In iis qui Aboni castrum proficiscebantur erat etiam Rutilianus quidam ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα καλὸς κἀγαθὸς καὶ ἐν πολλαῖς τάξεσι Ῥωμαϊκαῖς ἐξητασμένος. Misellus ille senex sexaginta annos natus postquam uno et altero oraculo ad fidem perductus esset petivit ab Alexandro ut filiam, cuius matrem Lunam esse ipse perhibuit, sibi in matrimonium daret. Quo conjugio munitus Alexander audacius semper se gessit, edidit oracula de lue, quae tum magnam Asiae partem vexaret, depellenda, e quibus unus versiculus,

Φοῖβος ἀκερσεκόμης λοιμοῦ νεφέλην ἀπερύκει,

ubique vestibulis inscriptus conspiciebatur tamquam depellendae pestilentiae remedium. In ipso ardore belli

---

1) Dio Cass. 71/2. Hertzberg. l. l. Luc. Alex. C. 27.

quod Marcus Aurelius cum Marcomannis et Quadis gessit nequissimus fraudator, qui per Rutilianum generum faciles ad aulam Caesaris aditus habebat, misit oraculum postulans duos leones vivos in Istrum conjici. Quae Rutilius effecta dedit, sed re a Romanis male gesta ad Aquilejam *τὴν Δελφικὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καὶ τὸν τοῦ Κροίσου χρησμὸν ψυχρῶς παρῆγε, νίκην μὲν γὰρ προειπεῖν τὸν θεόν, μὴ μέντοι δηλῶσαι, Ῥωμαίων ἢ τῶν πολεμίων.* Fama autem oraculi semper adhuc vigente et florente, erat quidam qui verum ingenium et naturam veteratoris impurissimi denudandi consilium ceperat. Forte venit Lucianus Aboni castrum. Metuit admodum Alexander qui inimicissimus Luciano erat. Hic accessit ad templum cum duobus militibus, quos a procuratore Cappadociae acceperat. Narrat ipse se cum illis templum esse ingressum et Alexandro ut solitus erat manum osculandam protendenti *δήγματι χρηστῷ πάνυ μικροῦ δεῖν χωλὴν τὴν χεῖρα ποιῆσαι.* Quae res necessario inimicitias mirum in modum auxit. Insidias igitur struxit Luciano eumque a gubernatore in mare abjici jussit. Sed frustra. Lucianus ex insidiis effugit et Alexander brevi post ipse mortuus est *διασαπεὶς τὸν πόδα.*

Potueritne superstitio tam anilis occupare et imbuere animos non tantum indoctae et ad talia pronae plebeculae sed etiam summorum hominum, si quis forte quaerat, is apud animum suum reputet totum saeculum in quo versemur, superstitiosum admodum arcanisque sacris deditum esse, nihilque Romanorum ingenii et indolis tam proprium tamque commune esse, quam stultam credulitatem, una crudelitate excepta. Eodem fere tempore

quo Lucianus scripsit, summus historicus semel atque iterum nobis narrat de mathematicis expulsis ex urbe et ex Italia. [1])

Sed quid opus est testimoniis aliunde petitis. Apud Nostrum etiam atque etiam credulitas aequalium acerrime impugnatur et arguitur. In alio dialogo cui nomen Philopseudes decrepiti aliqui senes confabulantur inter se de rebus magicis et portentosis eaque pro certis et exploratis proferunt, quae nunc vel puero decem annos nato risum moverent. Legat mihi verbi causa aliquis Arignoti narrationem de Pancrate *τὴν σοφίαν καὶ τὴν παιδείαν πᾶσαν εἰδὼς τὴν Αἰγυπτίων* [2]) iisque lectis approbabit Tychiadem indignabundum exclamantem: *Οὐ παύσεσθε τὰ τοιαῦτα τερατολογοῦντες γέροντες ἄνδρες; εἰ δὲ μή, ἀλλὰ κἂν τῶν μειρακίων τούτων ἕνεκα εἰς ἄλλον καιρὸν ὑπερβάλλεσθε τὰς παραδόξους ταύτας καὶ φοβερὰς διηγήσεις, μήπως λάθωσιν ἡμῖν ἐμπλησθέντες δειμάτων καὶ ἀλλοκότων μυθολογημάτων.* Et facile illi credimus post pauca asserenti se ex illo consessu venire *ὥσπερ οἱ τοῦ γλεύκους πιόντες ἐμπεφυσημένον τὴν γαστέρα ἐμέτου δεόμενον.* Scatent Luciani scripta locis superstitionem aequalium ita acriter arguentibus, ex quibus unum atque alterum infra delibare in animo est mihi nunc ad alios libellos transituro.

Extant inter opera Luciani duo libelli *περὶ θυσιῶν*

---

[1]) Tac. Hist. I, 22. Ann. II, 32. XII, 52. Hist. II, 62.

[2]) Philopseudes, Cap. 34, sqq.

et *περὶ πένθους* qui a nonnullis auctori abjudicantur. [1]) Neque sine causa, ut mihi videtur. Est sane res ardua atque difficilis inter legendum vera distinguere a falsis, quidque genuinum quid spurium sit secernere et explicare, praesertim juniori qui nulla auctoritate quum sit, non nisi dubitanter eam viam ingredi possit. Hoc tamen vere affirmare possum mihi hos duo supra laudatos libellos semel atque iterum legenti jam subditicios esse visos, quum auctoritate Sommerbrodt et Bekkeri meam suspicionem stabilitam esse intellexerim. [2])

Praeterquam quod longe longeque abhorrent ab usitato Luciani scribendi genere, est in primo laudato qui est de sacrificiis, additamentum per sex vel septem paragraphos protractum in quo de sacrificiis mentio nulla, de deorum autem origine et stirpe nonnulla narrantur quae non modo ab argumento plane aliena sunt, sed vel imperitissimo notissima erant. Itidem secundus friget, et sufficit legisse tres quatuorve genuinos libellos ut statim intelligas, quam prorsus diversis quamque mordacibus praesertim vocabulis Noster easdem res alias tractaverit. Inest his duobus libellis et praesertim ei qui vocatur *περὶ πένθους* frigida et insulsa oratione idem quod fere omnes aequales Luciani non modo, sed etiam diu ante eum bona pars crediderat, quodque Juvenalis acerrima et concisa oratione ut assolet dixit:

Esse aliquos manes et subterranea regna

---

[1]) Ausgewählte Schrifte des Lucian von Sommerbrodt, I, p. XIX.

[2]) Cf. Studia critica ad Lucianum, specimen inaugurale a V. D. Hartman conscriptum.

Cocytum et Stygio ranas in gurgite nigras,
atque una transire vadum tot milia cymba
nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

Non opus est in ea re conjectura de auctore constituendo, vel mediocriter doctus nescio quis facillimo negotio ea et plura hujuscemodi conscribere potest nihilque restat ut dicamus quam Apellis dictum *πρὸς τὸν ζωγράφον ἄθλιον*, ob nullius pretii tabulam uno die pictam, magnos spiritus gerentem, *θαυμάζω ὅπως οὐχὶ πλείους τοιαύτας ἐν ἡμέρᾳ ἔγραψας.*

Quoniam duce infelici quodam Luciani imitatore semel ad inferos perventum est, accedamus ad Cynicum Menippum forte ibidem offensum in Menippo sive Necromanteia. — Menippus Cynicus Luciano idoneus visus est quem loquentem de inferis induceret propter *παρῳδίαν* in undecimam rhapsodiam Odysseae quam teste Diogene Laertio conscripserat [1]). Quapropter eum Tiresiam Lucianus adire fingit ut ex eo quaereret quae optima esset ratio vitam degendi. Sed alia etiam de causa descendit, nempe ut sciret an illa vera essent quae de dis, eorumque adulteriis, raptibus, ceteris furtis, vulgo crederentur. Narrat acerrimus deorum osor se consilium iniisse adeundi Magum quemdam quippe qui incantationibus et sacris quibusdam Orci fores aperire posset. Multis sacris rite peractis cum eo, cui Mitrobarzani nomen dat, accedit ad sedes inferorum, Dionysi instar apud Aristo-

---

[1]) Diog. Laert. VI, 8, 101. — Cf. de Menippo. Menipp. und Horaz. ein Beitrag zur Geschichte der satyre von Dr. Th. Fritsche. Güstrow. 1871.

phanem in salsissima comoedia, latens sub Herculis specie, καθ' Ἡρακλέα τὸ σχῆμα καὶ τὸ λῆμ' ἔχων. Est operae pretium componere «Menippum» cum «Charone.» Quemadmodum enim Cynicus λιπὼν φάος ἠελίοιο in Orcum descendit, Charon relicto navigio in lucem escendit, cupidus inspiciendi qualia sint quae homines agant. Utrumque auctor fingit esse itinere peracto ejusdem sententiae: omnem vitam humanam vanam esse, frustraque eos semper inservire studiis et laboribus, nam serius ocius omnibus morti esse occumbendum. Quapropter Tiresias ad Menippum τὸν τῶν ἰδιωτῶν βίον optimum esse praedicat et Charon omnibus in vita rebus pretiosis contemptis, eorumque quae homines gestiunt et cupiunt vanitate et fragilitate perspecta, miratur de se omnino mentionem nullam injici: περὶ Χάρωνος δ' οὐδεὶς λόγος. Accuratius paullo duos de Menippo dialogos cum Charone comparantibus semelque et iterum alium post alium legentibus apparuit nobis esse communitatem et consensionem quandam inter eos, Menippus enim, in utroque Necromanteia et Icaromenippo una eademque de causa et ad inferos et ad superos iter facere decrevit. Haeret in incerto de (Cf. Icaromen. C. 4, cum Necromant. C. 3) deorum statu et conditione atque de mundo universo, philosophi eum ignorantia liberare non possunt, pauca tantum sciunt, raro sibi constant, praeterea mores eorum ab institutis et doctrina quam profitentur longe longeque abhorrent. Recta via igitur Menippus tendit ad Jovem, qui eum ad coenam vocat [1]), deinde surgens

[1]) Icaromen. C. 23.

ad eum coeli locum pergit ire ubi assidere solebat precum audiendarum causa. Dum eo progreditur interrogat Menippum tamquam hospitem ea, quae nos homines saepe quaerere solemus ex iis quos post temporis aliquod intervallum offendimus; nescioquid nugarum confabulando quaerit Juppiter v. c. quanti nunc sit in Graecia triticum, an anno superiore vehemens hiems Graecos perstrinxerit, an pluribus imbribus olera indigeant. Quibus et aliis huiusmodi peractis Juppiter ut jam saepe apud Lucianum eum facientem audivimus, se omni honore et cultu fere carere conqueritur, quod homines non amplius deos curant, suaque altaria frigidiora esse Platonis legibus aut syllogismis Chrysippi. Misericordiam certe movet, inquies, ille deus quasi exauctoratus, mox risum movebit. Minacibus enim et furoris plenis vocabulis invehitur in philosophos ad quod omnes dei in contione tamquam seditiosamultitudo exclamant: *Κεραύνωσον, κατάφλεξον, ἐπίτριψον*, *ἐς τὸ βάραθρον* etc. [1]) Et ex aliis et praesertim ex vanis, effectu omni carentibus minis deorum, quales quidem Lucianus eos sibi fingit, infirmitas animique mollities dilucide patet. Quod idem animadvertimus in Jove tragoedo et Jove confutato. Quae omnia auctor proferre nullo modo potuisset nisi ante omnia id praesertim persuasum sibi habuisset: Homo ubi recte et ordine utitur animi dotibus dis superior est. Quod quum homines probe sentiant atque intelligant, quidquid est deorum tollunt e medio; omni autem deorum vel dei cultu sublato uno

---

[1]) Ibid. Cap. 32, 33.

eodemque tempore omnis humana dignitas atque praestantia collabitur et perit et ut est apud Ovidium:

..... «fugere pudor, verumque fidesque:
In quorum subière locum fraudesque dolique
Insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.

Non amplius metu audacia continetur. Perjuri, inquit Timon hominum osor atque deorum in cognominis libelli prooemio, potius metuerint *ἕωλον θρυαλλίδα ἢ τὴν τοῦ πανδαμάτορος κεραυνοῦ φλόγα*. Et post pauca ita fere pergit: Senex factus es, o Juppiter, sed quum juvenis adhuc esses *ὀξύθυμος ὢν καὶ ἀκμαῖος τὴν ὀργήν*, tum continuo bella gerere solebas cum injustis vim facere conantibus, socordiae atque negligentiae autem praemium tulisti, cum nemo tibi amplius rem divinam facere vult, mox in Saturni locum te redigent, immo vero nunc jam templa et signa tua impudentissimi sacrilegi depeculantur. [1]) Vere igitur pudor et pietas cesserunt inque locum fidei et obsequii *σκέψις* et effrenata nequitia subierunt, in atra caligine mortales versantur, adeunt ad inferos omniumque vatum princeps Tiresias qui quondam Ulixi tam graviter vaticinatus erat suadet vitam desidem ad Epicuri, et quidquid est *ἡδονικῶν* normam accommodatam (Necrom. C. 21), [2]) ascendunt in coelum, nil nisi pueriles nugas vel vanas minas percipiunt, inque vicem horrendus portitor Orci venit a Tartari tenebris ut

---

[1]) Luc. Tim. Cap. 1, 4.

[2]) Necrom. C. 21. *ὅπως τὸ παρὸν εὖ θέμενος παραδράμῃς γελῶν τὰ πόλλὰ, καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς.*

rauco cachinno concussus vanitatem humani studii omnis derideat. Est quod cum Plutarcho *φιλαρχαίῳ* aurem praebeas voci subito auditae ab insula Paxo, *Ἀπάγγειλον ὅτι Πὰν ὁ μέγας τέθνηκεν.* [1])

In illam sedem autem ab antiqua doctrina vacuam relictam alia successit. Aetate Luciani Christiana doctrina magis magisque assumpsit vires et paullatim propagata est. Lucianus ipse et quidquid erat hominum elegantiorum probe viderunt autiquam fidem et cultum deorum ad finem properare, implacabili autem odio impugnabant Christianam doctrinam (*τὴν θαυμαστὴν σοφίαν τῶν Χριστιανῶν,* (eiusque sectatores), *τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβοντες τὸν ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν ἐς τὸν βίον.* [2]) Peregrinus Proteus, qui se doctrinae Christianae addixerat — nota res est — postquam ob novae doctrinae affinitatem, in vincla esset conjectus, Christiani calamitatem eius communem esse rati, nihil intentatum relinquebant ut in libertatem illum restituerent. Ubi id fieri non potuit omnibus modis captivi dolorem consolari eumque adjuvare studebant, nam si quid tale fiat — addit acerrimus irrisor, tamen commotus magna illa caritate et condonationibus — nulli rei parcunt, *ἀφειδοῦσι πάντων.* Quod minime est mirandum, inquit, nam primus legislator illis persuasit omnes esse invicem fratres, quapropter

---

[1]) Plut. de defectu oraculorum, C. 17. — HERTZBERG, Geschichte etc. II, p. 265.

[2]) De morte Peregrini C. 11.

bona omnia pariter contemnunt et communia arbitrantur. Haec fere sunt in libello supra laudato, *περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς* quae auctor de Christianis profert, quos et hic et alibi non nisi obiter tangit, nam non ut Christianos roderet et derideret Lucianus conscripsit narrationem de morte Peregrini, quod parum intelligentium multorum fuit opinio, non illi tanti erat praesertim in illa infinita multitudine rituum, qualem eius aetate offendimus, Christiana religio [1]), scripta est autem contra Cynicos, et ubi de philosophis eorumque sectis, Luciani aequalibus disseremus, erit etiam de hoc libello amplius dicendi locus. Nunc videamus reliquos in eius operibus extantes locos ubi Christiani aut nominatim occurrunt, aut adumbratim designantur. Iterum mihi vocandus est ad partes *ὁ ψευδόμαντις,* impudicus ille Alexander de quo jam supra mentionem fecimus. Duo in Alexandro loci extant ubi nomen Christianorum occurrit [2]) idque statim subjectum *τοῖς ἀθέοις*, Epicureis et *κατασκόποις τῶν ὀργίων,* hi enim omnes erant acerbissimi Alexandri eiusque fallaciae inimici. Vocabulum *ἄθεος* autem, ut paucis absolvam in re notissima, longe aliam atque hodie apud aequales nostros significationem habebat. Illi enim qui opinionem popularem de dis repudiabant et qui ut utar Xenophontis verbis de uno omnium *ἀθέων* nobilissimo, *οὐκ ἐνόμιζον οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια*

---

[1]) Cf. omnino de eo libello egregium Bernaysii opusculum, *Lucian und die Kyniker.* Berlin 1879.

[2]) Cap. 25 et 28.

εἰσφέροντες ut Diagoras v. c. quique eam opinionem palam profiteri audebant ἄθεοι habebantur. [1] Praeter supra laudatos locos mentionem de Christianis fieri apud Lucianum non memini, nisi forte quis dialogum cui nomen Φιλόπατρις ἢ Διδασκόμενος Luciano adjudicare vellet, jam dudum ab omnibus quibus de iis rebus judicare licet, damnatum et in spuria et insiticia rejectum [2] Non igitur ille vehementius quam alii eiusdem aetatis scriptores Christianos perstrinxit. Auctor nominis eius, qui, ut est apud Tacitum, «Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat», [3] audit apud nostrum ὁ ἀνασκολοπισθεὶς ἄνθρωπος et post pauca [4] ἀνεσκολοπισμένος σοφιστής. Alto supercilio porro ludibrio habet stoliditatem et simplicitatem Christianorum qui sibi persuaserint se in universum immortales futuros et in perpetuum victuros esse. Minime vero mirandum est eum sic opinatum esse: Christianos enim Lucianus parum novam illam doctrinam intelligens vel potius omnino ignorans habebat in numero eorum qui bona fide quidem putarent se scire posse aliquid de rebus divinis, sed qui cum aliis sexcentis, ut ipse alio loco dicit, de asini umbra contenderent. [5] Noster, quippe qui nil quidquam certi

---

[1] Cf. Nägelsbach, Nachhom. Theologie, p. 435.

[2] Cf. Cobet, Vir. Clar. Variae Lectiones p. 217 „insulsissimum inepti homuncionis opus.'' — Jacob, Charakteristik p. 167, quibus adsentiuntur Dindorf, Bekker et Sommerbrodt (I. XIX).

[3] Ann. XV, 44.

[4] De morte Peregrini, 11. 13.

[5] Hermotimus, C. 71.

de quaquam re dici posse arbitraretur, fastidiose contemnit eos et naso suspendit adunco. Aelius Aristides antiqui deorum cultus fervidus amator neque eo magis doctrinam Christianam cognitam habens, eos increpat tamquam [1]) *τοὺς ἐν τῇ Παλαιστίνῃ δυσσεβεῖς*, qui dignitate antecedentes nullo honore dignos haberent, *τὰ μὲν ἄλλ᾽ ἀφωνότεροι τῆς σκιᾶς τῆς ἑαυτῶν, ἐπειδὰν δὲ κακῶς τινας εἰπεῖν δέῃ καὶ διαβαλεῖν, τῷ Δωδωναίῳ μὲν οὐκ ἂν εἰκάσαις αὐτοὺς χαλκείῳ, μὴ γὰρ ὦ Ζεῦ, ταῖς δ᾽ ἐμπίσι ταῖς ἐν τῷ σκότῳ βομβούσαις.* [2]) Marcus Antoninus Caesar philosophus eos incusat *ψιλῆς παρατάξεως* et fastus tragici quae tum praesertim apparebant, cum jamjam in eo essent ut animus a corpore dissolveretur [3]) et Marci Antonini praeceptor, multorum insulsorum et ineptorum aequalium facile princeps calumniosis admodum verbis eos appetit [4]) nefandae cupiditatis falso illos arguens. Quodsi aliorum igitur testimonia, uno

---

[1]) Ael. Aristid. Or. XLVI, p. 309.

[2]) Fugit praeterea, opinor, et Aristidem et reliquos eius aetatis scriptores plerumque discrimen inter Judaeos et Christianos. Christiani eorum judicio erant secta ex Judaeis, hoc tantum nomine a reliquis differens, quod Judaei minus acriter et pertinaciter se gererent contra deorum antiquorum cultum. Christiani autem et illum cultum et divinos honores Caesaribus mortuis et postea vivis etiam tribui solitos tamquam fictum deorum cultum damnabant et repudiabant. Cfr. praeterea Dindorf ad supra laudatum Aristidis locum; Dio. Cass. 67, 1112, 1118. Ibid. 37, 122.

[3]) Marc. Ant. Lib. XI. 3.

[4]) Fronto Fragm. Ed. Naber, p. 263.

excepto Galeno, qui honorificentissime [1]) de eorum moribus, continentia virtutisque studio locutus est, comparemus cum Luciani de Christianis judicio non est quod eum nimiae acerbitatis in ea re incusemus. Fallitur certe ut omnes qui damnant et rejiciunt ea quae ignorant, neque ille, neque alii quibus cordi erat rodere aut contemnere Christianos, quique bestiis eos objici jubebant, animo sibi fingere poterant hanc fore doctrinam quae omne istud vacuum atque incertum ex animis erueret, superiorque discederet ex ingenti certamine rituum et sectarum, hujus fore leges quae insculperentur in litura tabulae vacuae relictae ab antiquo cultu, [2]) quam variae philosophorum sectae atque disciplinae frustra suis cuiusque legibus et placitis implere conatae essent.

Antequam ad secundam partem accedam res poscere videtur ut judicio Luciani utcumque exposito de rebus sacris atque divinis quid inde colligi possit, quaeramus et Nostri judicium conferamus cum aliorum aequalium. Vidimus Lucianum semel atque iterum acerrime impugnantem antiquum deorum cultum, deridentem hominem fraudulentum (*τόν ψευδόμαντιν*), contemnentem quidquid est rituum peregrinorum qualis erat doctrina Christiana. Nunc videamus cur de quaque re ita senserit, quamque

---

1) Cf. Friedländer, Darstellungen u. s. w. III, 522.

2) Cf. Gruppe apud Bernhardy, Grundriss der Griechischen Litteratur, I, 596: das Zweite Jahrhundert ist das leere Blatt zwischen zwei Weltaltern oder zwei positiven Religionen.

lucem haec illius sententia afferat ad tempus quo vixerit illustrandum.

Nemini credo dubium esse debet, quin antiquorum deorum cultus, quocum Lucianus semper et ubique qua jure quave injuria bellum gesserit, eius aetate adhuc viguerit. Vel patet, opinor, ut reliqua aliorum innumera testimonia omittamus, ex letali odio quod cum illo cultu exercuit. Si ejus aetate pauca vel nulla vestigia antiquae religionis superfuissent non ille qua erat indole omnibus fere dixerim animi et corporis viribus usus esset, ut fidem illam ex aequalium animis erueret. Non est enim boni militis, arte turpiter abuti inanibus vulneribus infligendis jam emortuo hosti. Deorum imperii et dignitatis deminutio sane facta erat, fateamur necesse est; erat nonnemo qui omnem illum antiquum cultum vanum esse duceret et augur, non modo ut vivo Cicerone, opinor, ridere solebat, augurem aspiciens immo vero fortasse cachinnabatur. Jam Ciceronis aetate eruditissimus quisque «fabulis spretis et repudiatis» deum pertinentem per naturam cuiusque rei venerari et colere solebant. [1]) Extremo tempore liberae rei publicae atque aetate imperatoria sententiae philosophorum subsidio venerunt opinioni populi de dis deabusque, eamque arte quasi concluserunt. Plutarchus summa pietate devinctus Ammonio ἐκλεκτικῷ philosopho [2]) et ipse illi philosophiae sectae deditus, ita tamen ut ad Academiae praecepta nonnumquam inclinet, eam

---

[1]) Cic. de Nat. Deor. II, 28.

[2]) Cf. Hertzberg, Geschichte Griechenlands etc. II, p. 160 sqq.

rationem difficultates expediendi optimam esse censet, si quis credat esse daemones quosdam medos inter deos et homines: ἐμοὶ δὲ δοκοῦσι πλείονας λῦσαι καὶ μείζονας ἀπορίας οἱ τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων .... ἐξευρόντες [1]), eosque genios cum Platone [2]) medios inter deos et homines collocat. Quae explicatio antiquae fidei magis, ut Plutarcho et aequalibus videbatur saltem, ad scientiae normam accommodata, gravitatem novam attulit cultui deorum qui jam nonnihil pristinae dignitatis amiserat, multorumque animi ea aetate hac religione imbuti erant. Qui sic judicabant et superstionem gravitate involvere et cultum ad scientiae praecepta componere sibi videbantur. Antiqui di deaeque tamen per multa saecula publice in honore habiti ne ea quidem aetate debitis honoribus caruerunt. Juvenalis, quem nemo qui vel paullo accuratius satiras ejus legerit, nimii antiquae religionis studii arguet, qui non uno loco palam deridet et contemnit totam illam deorum turbam tamen Aquini templum Cereri Helvinae dedicat. Tacitus nonnumquam omnia in dubium vocare videtur, interdum autem opem et auxilium deorum plane et evidenter agnoscit [3]). Faustina Marci Antonini uxore in morbum implicita, Fronto sedulo Caesari scribit se pro Domina mane

---

1) Plut. de defectu oraculorum. Cap. 10.

2) Cf. Plut. Rom. 28 cum. Platonis convivio § 23.

3) Cf. omnino de hac re Nipperdey, Einleitung zu Tacitus' Annalen. Berolini apud Weidmannos, p. XV, XVI, XVII. Tac. Hist. IV. 78: „Nec sine ope divina."

quotidie deos appellare. [1]) Sunt praeterea multae inscriptiones quae vigentem adhuc cultum antiquum dilucide probent, quarum unam hic proponere juvat, quam legimus apud Zellium in inscriptionum Romanarum delectu. T. Pomponius Victor quidam Aximae in Alpibus procurator Caesaris, Silvano gratias agit et votum nuncupat hisce verbis:

Silvane sacra semicluse fraxino
Et huius alti summe custos hortuli,
Tibi hasce grates dedicamus musicas,
Quod nos per arva perque montes Alpicos
Tuique luci suave olentis hospites
Dum jus guberno remque fungor Caesarum
Tuo favore prosperanti sospitas.
Tu me meosque reduces Romam sistito,
Daque Itala rura te colamus praeside.
Ego jam dicabo mille magnas arbores. [2])

Plebem tunc quoque ut semper, praesertim in rebus sacris, antiquo cultui immorari vanisque rumoribus stulte credere, vel patet ex iis quae legimus in Actis apostolorum, ubi Paulus et Barnabas Lystram advenientes, populo clamante *οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς*, pro diis habentur. [3])

---

[1]) Fronto. Ed. Naber V, 25, p. 83.

[2]) Orell. 1613. Zell. Del. Inscr. Rom. p. 431, N° 1927. Cf. Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms. Th. III, p. 483, sqq.

[3]) Act. apost. XIV, 11—18.

Neque hoc loco praetereundus, videtur quem inter Luciani aequales jam supra memoravimus, P. Aelius Aristides, philosophus superstitiosus admodum et paene fanaticus; cuius puerilis fere dixerim credulitas patet ex iis quae narrat de somniis sibi per quietem, nonnumquam etiam vigilanti, oblatis. [1]) Postquam Roma facta erat caput domitae terrae utique tunc notae, simul cum numero provinciarum, numerus deorum et dearum incredibiliter auctus erat. Jam ab eo inde tempore ubi Magna Mater ex Phrygia Romam transvecta esset, vere illa urbs, ut Ovidius canit, dignus locus fuit «quo deus omnis eat.» Querulus historiarum scriptor, aetate imperatoria, alter ut ita dicam Momus, Romam urbem dixit «quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Hos quoque peregrinos deos in coeli civitatem receptos Lucianus sub Momi persona, ut jam supra vidimus, vehementer impugnat, illosque qui tam effuse civitatem cum peregrinis communicarent ipsos jamjam ad finem properare probe intellexit. Sensit cultus antiquus subsidio sibi opus esse, idque reperire sibi videbatur ex toto illo grege alienigenorum. Vulgo perspicaciores hunc modum agendi damnabant et inde de salute antiquum cultum dimicare colligebant; erant autem qui ea re gauderent, et argumentis e philosophia utcumque

---

[1]) Cf. v. c. Aristid Or. XXVI, p. 333, XLII, p. 520, XXXIII, p. 290, XXXVII, p. 351, XXVI, p. 323, XXIV, p. 300. Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms, III, p. 440.

petitis probare conarentur dis alienigenis aeque ac indigetibus locum esse. Plutarchus verbi causa, quamquam ipse Pythii Apollinis sacerdos, libro fatuo et malo augurio, opinor, confecto, Isidis et Osiridis illa aetate in diem gliscentem cultum optime convenire cum Graecorum deorum cultu perhibet quod omnes dii communes essent, tamquam coelum, terra, mare communia sint. [1]) In dies turba illa deorum crescebat, ita ut homines mortui, et dei immortales a sequioribus promiscue colerentur. Est operae pretium audire Aelium Lampridium narrantem Alexandrum Severum matutinis horis in larario suo rem divinam facere Apollonio, Christo, Abrahami, Orfeo, optimisque electis ex divis principibus. Prorsus, opinor, assentiendum igitur censeo Prellero, ubi dicit, [2]) « Das neue was sie bieten konnten (scil. die Restaurations « versuchen des antiken Heidenthums) war eben nur neue « Aufregung, neue Verwirrung, keine Belehrung, keine « Beruhigung. Es waren eben nur die geflickten Lappen « des alten Kleides, welche bald wieder zerrissen, und die « garstige Blösse der verfallenen Menschheit nun erst « recht sehen liessen. » Omnes illi ritus igitur, , verissime Prellerus annotat, vitam quietam praebere haudquaquam

---

1) Plut. de Iside et Osiride Cap. 67. — Quanti habendus sit libellus ille et alia declarant et *τὸ γελώμενον τοῦτο*, ubi Plutarchus serio demonstrat crocodilum pro deo colendum esse quod linguam non habet, et *φωνῆς ὁ θεῖος λόγος ἀπροσδεής ἐστιν*. — Cf. Cob. V. Cl. Mnem. VI p. 12. De Isidis cultu in Graecia illa aetate pervulgata, Cf. Hertzberg. Gesch. Gr. u. d. R. H. II, 269 sqq.

2) Preller. Röm. Mythologie, p. 711.

valuerunt. Superstitio mirum in modum augebatur, Alexander et quidquid erat veteratorum de genere eodem in magno honore habebantur, genus potentibus infidum sperantibus fallax, Chaldaeorum Tacito auctore semel atque iterum vetatur. Atque tamen idem ille Tacitus, quidquid erat fabulosi et ficti pessime exosus, tamen quia vulgatis traditisque fidem demere non audet, quo die Bedriaci certabatur avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse memorat, nec ablatam ex oculis nisi postquam Otho se ipse interfecisset.[1]) Idem alio loco miracula multa prodit Alexandriae facta quum Vespasianus ibi statis aestivis flatibus dies et certa maris opperiretur [2]), et addit illos qui interfuerint nunc quoque id ipsum asseverare postquam nullum mendacio praemium. Miracula passim et vulgo credi et ea quae laudavi et Philostrati opus de Apollonio Tyanensi nobis documento esse potest; [3]) Longum est omnia laudare et enumerare testimonia quae passim apud omnes occurrunt de fide habita magis, oraculis, haruspicibus, somniis denique. Quin ut illud tantum addam Lucianus ipse vitae rationem mutat somnio admonitus et nulla aetate Homeri illud magis gratum et acceptum erat: καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. [4])

Quocumque igitur oculos vertimus, videmus homines paene universos rerum sacrarum atque divinarum studi-

---

[1]) Hist. II, 50.

[2]) Ibid. IV, 81.

[3]) Cf. Hertzberg, II, 70, 71.

[4]) Cf. Plin. Ep. VI. 2/2. II. 20/4. I, 18. Suet. Tib. 69. Juvenal. VI, 553, X, 94.

osos exspectatione erectos tamquam qui tragoediam spectant, donec aliquis ϑεὸς ἀπὸ μηχανῆς veniat qui lucem tenebris afferret. Quae ipsa anxia exspectatio inquam inscientes plerique adducti erant egregie viam muniit Christianae doctrinae, cum praesentem conditionem fastidientes, futuri quamquam incerti attamen cupidissimi magis magisque se adscriberent gregi eorum qui contra omnes antiquas opiniones tam sacras quam profanas bellum pararent, et novum saeclorum ordinem nasci praedicarent.

CAPUT ALTERUM.

Μισαλαζών εἰμι καὶ μισογόης καὶ μισοψευδὴς καὶ μισότυφος καὶ μισῶ πᾶν τὸ τοιουτῶδες εἶδος τῶν μιαρῶν ἀνθρώπων.

LUCIANUS.

Auspicanti hanc secundam dissertationis meae partem, quae est de Luciano rerum humanarum censore, primum dicendum mihi esse videtur quid auctor ipse statuerit de philosophia, quamve eius sectam sit secutus antequam judicium quod tulit de philosophis, rhetoribus et ceteris de genere hoc exponam. Res autem postulare videtur ut simul incidamus in memoriam aliorum aequalium scriptorum eorumque sententiae et judicia cum Luciani comparemus, nam ipsum nonnunquam non nisi caute adhibendum esse semel et iterum apparebit. Haud dubie id mihi in medium ponere posse videor: *Lucianus parum in philosophia, antiqua praesertim versatus, quum et diversarum sectarum propria et inprimis corrupti mores aequalium philosophorum valde idonea sibi vide-*

rentur quae fastidiose traduceret, et de antiqua illa et nonnumquam de aequalium philosophia, causa non cognita judicem agit. Quod erit demonstrandum.

Quid Lucianus ipse de philosophia statuerit ab aliis alio modo expositum est. Sunt qui cum Epicureorum gregi adscipserint, idque satis utique constat ex diversis sectis et scholis philosophorum Epicureos minime male ab eo habitos esse, [1]) ipse autem Epicureus sane non erat. Natura et indoles ἐπιπόλαιος eum non sinebant cuius quam philosophorum sectae castra sequi. Si quis primis labellis Luciani opera gustet, et non nisi leviter auctorem ipsum cognoscat, est quod illum hac in re admiretur; memini me primo quasi abripi animi affectione quum cernerem fortitudinem et fere dixerim animi duritiem qua hic scriptor usus, philosophiam universam valere jubet et antiquam et recentiorem. [2]) In libello cui titulus, Vitarum auctio, tota antiqua philosophia acerbissimo modo perstringitur et damnatur quam Lucianus parum quidem noverit, auctoresque et conditores harum sectarum auctione proposita, tamquam captivi a praedonibus Jove praeside a Mercurio ei qui licitatione vincit addicuntur. Dicebam modo Lucianum parum intellexisse et cognitam habere philosophiam antiquam quam rodit sub nomine auctorum.

---

[1]) Cf. Jup. Tragoed. ubi, ut supra demonstravimus, Epicureum Damis argumentando vincit, Timocles convicia jaciens in victorem adversarium discessit. — Cf. Alex. sive Pseudomantis 47.

[2]) Quid statuendum nobis videatur de libellis Demonactis vita et Nigrinus postea exponemus.

Argumentis ut mihi quidem videtur manifestis hanc sententiam stabilire et probare conabor. Ordiamur a principe philosophorum omnium. Socrates et in Vitarum auctione et alibi vitiosi puerorum amoris arguitur [1]; quin etiam non sine quodam fastu et superbia ipse de se praedicat *παιδεραστής εἰμι καὶ σοφὸς τὰ ἐρωτικά* [2]) et post pauca addit: *Ἄκουε δὴ τὸ μέγιστον ὃ περὶ τῶν γυναικῶν μοι δοκεῖ, μηδεμίαν αὐτῶν εἶναι μηδενὸς μόνου, παντὶ δὲ μετεῖναι τῷ βουλομένῳ τοῦ γάμου* [3]). His ita nude positis Lucianus duos laedit in uno, nam haec est scurrilis vel potius dicam cerdonis commentatio de iis quae apud Platonem et alibi et in libro quinto de Republica leguntur: *Τὰς γυναῖκας ταύτας τῶν ἀνδρῶν τούτων πάντων πάσας εἶναι κοινάς, ἰδίᾳ δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν καὶ τοὺς παῖδας αὖ κοινούς* [4]). Haeccine autem ita nude ponere neque intelligere Platonem in libris de Republica semper sibi animo fingere *τὴν πόλιν ἐν λόγοις κειμένην* [5]) nonne est philosophiae Platonicae prorsus rudis atque ignari? Non sunt autem illi ea quae diximus satis ut ostendat se Platonem cum non intelligat semper ridere et traducere conari. In secunda parte *τῆς ἀληθοῦς ἱστορίας* iterum

---

[1]) Cf. omnino de hac parte disputationem inauguralem viri doctissimi J. G. VAN EYKEN, cuius inspiciendae mihi beneficio auctoris copia fuit.

[2]) Vit. auct. C. 15.

[3]) Ibid C. 17. Cf. Convivium sive Lapithae.

[4]) Politeia V, § 457. C.

[5]) Ibid IX, 592. A.

princeps philosophus sordide perstringitur. Versamur illic *ἐν ταῖς τῶν μακάρων νήσοις*. Plato, inquit Lucianus, non aderat *ἀλλ' ἐλέγετο καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ἀναπλασθείσῃ ὑπ' αὐτοῦ πόλει οἰκεῖν χρώμενος τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς νόμοις οἷς συνέγραψεν* [1]. Et post pauca legimus Socrati ob rem bene gestam hortum pulchrum dono datum esse ubi disputaret cum sodalibus *ἔνθα καὶ συγκαλῶν τοὺς ἑταίρους διελέγετο, Νεκρακαδήμειαν τὸν τόπον προσαγορεύσας* [2]. Sed quid opus est argumentis ex aliis dialogis hinc illinc petitis. Legat mihi aliquis Vitarum auctionem, sentiet Lucianum hoc saltem loco ut plerique solent damnare et contemnere ea quae parum aut non intelligit. En ego, sic fere dixeris auctorem secum reputasse, antiquam philosophiam jam demolitus sum. Sed tempus veniet quo ad bonam frugem se recipere conetur, probe sentit se magnum illum *ἐνθουσιασμόν* per multa saecula Graeco populo insitum famosis quibusdam libellis delere et demoliri non posse, et jamjam Piscatorem scribere aggreditur ut poenitentiam ostendat. Modo fuit maledicus, nunc fiet idem mendax. Designare nolui, sic fere loquitur, antiquos illos praeclaros philosophos sed depravatos imitatores, quales nunc sunt, neque tamen in pos-

---

[1]) Verae Historiae, II, C. 17.

[2]) Ibid 23. Cf. etiam quae leguntur in Icaromenippo, ubi Juppiter dicit *τοιγαροῦν ψυχροτέρους ἂν μου τοὺς βωμοὺς ἴδοις τῶν Πλάτωνος νόμων ἢ τῶν Χρυσίππου συλλογισμῶν* et acerbissimum dictum de Pythagora in gallum mutato causam exponente cur faba abstinere jusserit. Somnium sive Gallus. C 16.

terum antiquis philosophis parsurus. Attamen probe intelligit sibi ipsi nunc aliquid in philosophia esse elaborandum, qui huc usque nullum nisi demoliendi consilium esset secutus, ut aequalibus saltem responsum dare possit ex se quaerentibus quid ceterorum eorumque praestantissimorum judex acerbissimus ipse proferre valeat? Jamjam scripturus est Hermotimum. Stoicus ardens studio ascendendi per lubricam et arduam illam viam ad ipsam Virtutem obvius fit Luciano. Primo illi acerba quaedam in magistrum quem dei instar colit audienda et concoquenda sunt, [1]) dein Lucianus eum inconsulte admodum loquentem inducit (cf. C. 15). Cui tandem argumento fidem tu primum habens Stoicorum januam ingressus es, cum multae tibi januae paterent, et perinepte Hermotimus respondit: Me ipsum idoneum judicavi qui de ea re decernerem et ineptius etiam addit: *ἑώρων τοὺς πλείστους ἐπ' αὐτὴν ὁρμῶντας, ὥστε εἴκαζον ἀμείνω εἶναι αὐτήν*. Jam id saltem Lucianus apud lectores effecit ut Stoicus derideatur ab omnibus et stoicam philosophiam fere contemnamus. Sed hic quoque ut in causa Murenae Catonis ratio commendanda neque sine contemptione quadam exclamandum: *Ὡς γελοῖον ὕπατον ἔχομεν*. Nam et Cicero quondam et Lucianus nil quidquam agere volunt quam ut pro natura et indole causidicorum auditorum animos in se convertant, causamque obtineant. Nunc autem Stoico refutato et paene oppresso Lucianus ipse quid de ea re sentiat dicturus est.

---

[1]) Cf. Hermotimus, C. 11. Magister Hermotimi bene potus Euthydemum Peripateticum in rixa *περὶ ὧν ἐκεῖνοι εἰώθασιν ἀντιλέγειν τοῖς ἀπὸ τῆς Στοᾶς* vulnerat.

Multi, inquit, duces sunt qui viam tibi monstrent ad illam urbem beatam, sed via non est eadem et minime altera alteri similis (C. 25). Unusquisque autem perhibet se veram viam scire et monstrare (C. 26). — Misellus Hermotimus paulisper se agitat, iterum trepide admodum conatur male illam suam mulcatam stoicam philosophiam opponere dialecticis adversarii captionibus et admodum depressa voce objicit: At Stoici sunt duces optimi; quoquo abibis meliores non invenies (C. 29). — Id omnes dicunt et Platonici et Epicurei itaque *ὥστε ἢ πᾶσι πιστεύειν χρὴ ὅπερ γελοιότατον ἢ ἀπιστεῖν ὁμοίως* idque post pauca iisdem fere vocabulis repetitur. [1]) *ἑνί τε λόγῳ συνελὼν φημι ἄχρι ἂν ἄδηλον ᾖ τίς ἀληθής ἐστι προαίρεσις ἐν φιλοσοφίᾳ μηδεμίαν αἱρεῖσθαι, ὕβρις γὰρ ἐς τὰς ἄλλας τὸ τοιοῦτον.* Quam verecundum auctorem quamque moderatum fortasse aliquis exclamarit: optionem facere non potest, ne reliquas philosophorum sectas contumelia afficiat, sed hic quoque Epicharmi illud tenendum *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.* Rhetorica argumentatione, illi qui vel pauca philosophorum placita penitus cognoscere vellet supra ducentos annos esse vivendum demonstrat, misellumque Hermotimum magis magisque argumentandi et alloquendi ratio fugit, ad ultimum nil objicere potest nisi illud *Ὑβριστὴς ἀεὶ σύ, οὐκ οἶδ' ὅ τι παθὼν μισεῖς φιλοσοφίαν καὶ ἐς τοὺς φιλοσοφοῦντας ἀποσκώπτεις.* [2]) — Quod est argumentum magis sane ad hominem quam ad rem controversam

---

[1]) C. 34 sub finem.
[2]) Ibid C. 51.

pertinens. Nunc autem Lucianus longe aliam viam ingredietur. An omnino aliqua sit veritas primum considerandum erit, et tum venit narratiuncula ingeniose ad speciem sane ficta nescio cuius fabas manu tenentis [1]), qua stupenti Stoico recitata, *ἔδει*, inquit Luc., *οἶμαι πρότερον φανερὸν γενέσθαι ὅτι ἔγνωσται τἀληθὲς καὶ πάντως ἔχει τις· αὐτὸ εἰδὼς τῶν φιλοσοφούντων, εἶτα μετὰ τοῦτο τὸ ἑξῆς ἂν ἦν ζητῆσαι, ᾧ πειστέον ἐστίν.* Quibus in medium prolatis iterum sententiam paucis verbis complectitur [2]): semper, sic fere loquitur, magistri et praeceptores in judicium vocandi sunt, quoniam etiamsi inveniamus aliquem professum scire se aliquid ac docere velle alios non statim illi credimus sed quaerimus qui judicare possit an vera illa dicat, et alio etiam judice nobis opus est ad id dijudicandum. Plane victus et animum despondens Stoicus exclamat: *ἄνθρακάς μοι τὸν θησαυρὸν ἀπέφηνας καὶ ὡς ἔοικεν ἀπολεῖταί μοι τὰ τοσαῦτα ἔτη καὶ ὁ κάματος ὁ πολύς.* Statim Lucianus obloquitur. Multo minus id moleste feres, si tecum reputaveris non te solum speratis illis bonis carere, nil quidquam enim certi de quaquam re dici potest et omnes philosophi *μάχονται περὶ ὄνου σκιᾶς*, vanam sibi felicitatem proponunt et idem iis usu venit quod somniantibus qui beatas insulas sibi fingant.

Propositum igitur quod philosophi assequi conantur jam ex oculis miserrimi Stoici sublatum est, sed fac, Lucianus inquit [3]), te universum (*ὅλον*) comprehendisse *τὸ μὲν δὴ*

---

1) Ibid C. 66.
2) Ibid C. 70, 71.
3) Ibid C. 78.

πρῶτον οὐχ ὁρῶ ὅ τι ποτ' ἂν εἴη τἀγαθὸν ὡς ἀντάξιον δοκεῖν τῶν πόνων τῶν τοσούτων. Ne igitur fusum fugatumque Hermotimum male mulcatum a se dimittat, dabit illi *ἔμπλαστρον* aliquod quo vulnera utcumque fovere possit et magnopere ei commendat virtutem, *τὴν ἐν ἔργοις οὖσαν* quae exerceri et quaeri potest missis illis syllogismis et perplexis quaestionibus quas vos agere sedulo soletis, et addit [1]) *τὸ δ' ὑμεῖς ὅταν εἴπω, τοὺς ἄκρους τῶν φιλοσοφούντων φημί,* qua re iterum planissime ostendit Lucianus se omnia susque deque ferre neque *τοὺς ἄκρους τῶν φιλοσοφούντων* intellexisse umquam. Hermotimus autem verbum non amplius obloquitur sed plane convictus tandem fatetur se philosophos fugiturum esse in posterum tamquam *τοὺς λυττῶντας τῶν κυνῶν.*

En habetis commentationem philosophicam illius qui aliorum disciplinas ne Socrate quidem excepto tam acriter perstrinxerit. Quod si forte ex eo quaeras: Quid dignum tanto tulisti hiatu? statim respondebit: Nil certi de quaquam re affirmare possum, equidem exstruere et conponere plane nequeo, demoliri vero et solo aequare valeo. Et quum, ut in dialogo cui titulus *Ἁλιεὺς ἢ ἀναβιοῦντες* narratur, summi antiquitatis philosophi eum accusant, reminiscens se esse rhetorum alumnum magna gravitate verborum et facetiis festivis sane adhibitis palam profitebitur se omnem vanam philosophiae speciem pessime odisse, quod vel semel legenti Vitarum auctionem impudentissimum mendacium esse statim patebit.

---

[1]) Ibid C. 79.

Sed huc usque rei crimina explicavimus, nunc eum paulisper defendere conemur. Erat Lucianus aetate qua vixit haud sane unicus qui ita senserit et philosophiam oderit. Nimis erat ἐπιπόλαιος quam ut hac in re a communi aequalium Romanorum praesertim opinione dissentiret, qui, quamquam munificentia Caesarum philosophiam in usum communem redegit semper tamen illam contemnerent. Nam ut taceam *varicosos centuriones*, quibus teste Persio [1]) satis erat quod saperent, et Trimalchionem qui sepulcro insculpi jussit se nunquam philosophum audivisse [2]) apparet ex aequalium scriptorum testimoniis neque antea neque tum philosophiam magni fieri apud Romanos. Ut ex infinita copia unum proferam, Tacitus narrat socerum suum Agricolam prima in juventa studium philosophiae acrius ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse ni prudentia matris incensum ac flagrantem amimum coercuisset [3]). Bona pars autem non tam philosophiam ipsam quam philosophos credo, pessime odit, illos »qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt» [4]) quorumque vitam haud sane ad moralia praecepta quae praedicarent, accommodatam semel et iterum

---

1) Persius I, 189—191. Cf. III, 77—78.

2) Petron. Sat. 71 in fine.

3) Tac. Agr. cap. 4. Cf. omnino de hac re FRIEDLÄNDER Darstellungen III, p. 543 sqq. et scriptores ibi laudatos. Aristid. Or. XLVI, p. 307 sqq. Dio Chrys. Or. LXII, 383 et 388, R. Gell. N. A. XVII, 19 κ. τ. ἑ.

4) Juv. Sat. II, 3 sqq.

apud Lucianum depictam videbimus. Sed ut fit illi qui minus perspicaci indole sunt praediti nunquam auctores a placitis secernere possunt et propter vitia quae fortasse homini inhaerent, ea quae profert quamvis saepe egregia contemnunt et damnant, neque solum illa quae ipse, sed etiam quae alii multo melius morati aut dicunt aut faciunt. Fatendum enim: est noster quoque nonnunquam in hoc leviter judicantium peccato tenetur et iniqui *τοῦ πολλοῦ λεώ* judicii arguendus est. Ceteroquin aetas qua vixit novam disciplinam in philosophia nasci non vidit, quippe quae tantum praecepta moralia proponeret. Si omnes eius aetatis philosophos recenseas, comperies omnes praesertim morali philosophiae parti operam dedisse quales essent Seneca, Dio Chrysostomus, Epictetus, Marcus Aurelius Antoninus et quidquid esset Cynicorum. Tota vita philosophorum erat hac praesertim aetate commentatio mortis quam contemnere et parvi facere philosophi docentes beatae vitae praecepta proponebant [1]. Nam in philosophia placita et *δόγματα* ea aetate haudquaquam exstiterunt, erat plane ut ita dicam *ἔξωρος*, ex antiquis autem placitis pars moralis eximebatur qua gravissimus quisque utebatur tamquam propugnaculo

---

[1]) Cf. Plat. Phaed. p. 67 D. Tusc. Disp. I, 30, 74. — Cf. omnino de Cynicis omnia contemnentibus, mortemque tamquam confugium et salutem innumerabilium vitae incommodorum, quae utique aetate imperatoria non pauca essent, expetentibus. BERNAYS, *Lucian und die Kyniker*, p. 27, 28. — Sentiebat, id quod in proemio diximus, probe antiquitas sibi capitis tamquam damnato paucos modo dies esse vivendum.

contra effusam morum depravationem, simul ut idonea vitae diceret. Qua re, ut obiter dicam, meo quidem judicio nimis celeris propagatio doctrinae Christianae etiam facillime explicatur; ea enim et quod ad partem moralem attinet partim saltem nova praecepta εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον et dogma plane novum et inauditum proferebat. Omnes igitur morales philosophos et doctores se esse profitebantur, prout cuiusque esset ingenium aut indoles gravissimi philosophi aut Satyrici erant, ut Lucianus, Juvenalis, Petronius. Persius quasi medium tenebat inter utrumque, dixeris illum philosophum inter satyricos, vel satyricum inter philosophos, quo ut ita dicam ἐνδοιασμῷ plane obscurus evasit. Philosophus autem moralis (sit venia locutioni parum latinae) et satyricus unum idemque sibi habent propositum, ille autem ab omni parte est superior, quod aedificare et exstruere potest novum aedificium in ruinis quas satyricus effecerat. Uterque autem creatur ab una eademque decrepita et obsoleta aetate et frustra recreare corpus semivivum studet.

Sed jam tempus est redire ad ipsum Lucianum et judicium quod tulit de philosophis, rhetoribus et tota denique eruditione et doctrina suae aetatis.

In hac parte saepius occurret vocabulum σοφιστής quare aequum esse opinor ut antequam Luciani judicium de philosophis atque rhetoribus singillatim exponere aggredior, pauca dicam de iis qui nomine sophistarum designantur, τῷ σεμνοτάτῳ τούτῳ καὶ παντίμῳ ὀνόματι, ut Lucianus ipse dixit. [1]) Primum de ea re disserentem audiamus eum

1) Rhet. praec. C. 1. Cf. Ad. Nicolai. Uber Entstehung

qui licet nonnunquam putide atque insulse scripserit, tamen adjumentum haud exiguum attulit ad ipsos sophistas et aetatem qua floruerint melius cognoscendam, Philostratum dico. Statim ab initio in eo libro cui nomen *βίοι σοφιστῶν*, Philostratus ita dicit: *τὴν ἀρχαίαν σοφιστικὴν ῥητορικὴν ἡγεῖσθαι χρὴ φιλοσοφοῦσαν· διαλέγεται μὲν γὰρ ὑπὲρ ὧν οἱ φιλοσοφοῦντες, ἃ δ' ἐκεῖνοι τὰς ἐρωτήσεις ὑποκαθήμενοι καὶ τὰ σμικρὰ τῶν ζητουμένων προβιβάζοντες οὔπω φασὶ γιγνώσκειν, ταῦθ' ὁ παλαιὸς σοφιστὴς ὡς εἰδὼς λέγει.* Et idem addit in eiusdem libri prooemio: *σοφιστὰς δ' οἱ παλαιοὶ ἐπωνόμαζον οὐ μόνον τῶν ῥητόρων τοὺς ὑπερφωνοῦντάς τε καὶ λαμπρούς, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσόφων τοὺς σὺν εὐροίᾳ ἑρμηνεύοντας.* Unde sequatur necesse est nomine sophistae duo hominum genera designari, philosophos et rhetores. Olim quum in Graecia philosophia a summis viris ut Platone, aliis coleretur sophistae jacebant et contemnebantur, in ea scena ubi principes illi primas partes agebant, sophistae nullius pretii erant *τριταγωνισταὶ* sed quum primarum et secundarum etiam partium actores abiissent fieri non poterat quin illi locum ab his vacuum relictum occuparent. Luminibus philosophiae exstinctis merae ineptiae et quisquiliae a mediocriter aut omnino non doctis pro philosophia venditabantur, et deficiente vel potius plane mortua genuina illa antiqua eloquentia neces-

---

und Wesen des Griechischen Romans. Berlin 1867, bl. s. 56 sqq. — Bernhardy, Grundriss der Griechischen Literatur, p. 611. — Wissowa, Beiträge zur inneren Geschichte des zweiten nachchristlichen Jahrhunderts aus den Schriften Lucians II° Abteilung, Breslau 1853.

sario insulsa garrulitas et loquacitas in eius locum successit.[1]) Aetate autem Luciani omnes igitur illi qui novi aliquid profiterentur, vel qui declamando et philosophica quaedam disserendo regiones peragrarent, sophistae audiebant. Jam supra Christum ut qui novam introduxisset doctrinam apud Nostrum « cruci affixum sophistam» designari vidimus. De sophistis docentibus mercede accepta imperatorum munificentia, postea, ubi singula quaeque attingemus, videbimus. Nunc quoniam nomen satis explicatum putamus primum de primo genere sophistarum, de philosophis proprie dictis, deinde de rhetoribus Luciani judicium exponemus. Esset, opinor, operae pretium si quis pictori cuidam artis suae probe perito munus injungeret formam et speciem philosophi depingendi ex iis quae Lucianus de ea re scripserit. Posset sane ille ex largo fonte haurire et si vel paullo diligentius Lucianum lectitasset ingens copia materiae illi suppeditaret. Nec illi magnopere curae esse deberet cui sectae vel scholae philosophorum ille, quem depingere in animo haberet, adscriptus esset, nam lineamenta omnium communia quibus faciem atque vultum adumbrare et exprimere posset passim apud Nostrum oculos ferirent. Quam igitur tabulam si Luciani animum atque consilium cum fide exponere vellet in

---

[1]) Est mordax sane sed idem verissimum dictum viri Clarissimi K. Lehrs: Populäre Aufsätse aus dem Alterthum 1875, p. 404. „in den Römischen Jahrhunderten, als die Griechen, denen es bestimmt war alle ihre Anlagen in Kunstform zu bringen, ihre Geschwätzigkeit zur Kunst gestalteten.“

duas partes pictor divideret necesse esset, quarum in una species philosophi depingeretur quam interdiu prae se ferre soleat, in altera autem quemadmodum nocte atque in tenebris vitam degat. Prima in parte autem tum ante oculos contemplantium appareret homo trito palliolo vestitus (τριβώνιον περιβεβλημένος) [1]) cum baculo et pera [2]), pallidus [3]), superciliis contractis [σκυθρωπὸς τὸ πρόσωπον, τὰς ὀφρῦς ἀνατείνας] [4]), obtutu oculorum severo admodum et arroganti [τιτανῶδες βλέπων] [5]), capillis anterioribus retrorsum rejectis, (ἀνασεσοβημένος τὴν ἐν τῷ μετώπῳ κόμην) [6]), barba usque in pectus promissa (πώγωνας βαθεῖς καθειμένοι) [7]), librum laeva manu tenens (βιβλίον ἐν τῇ ἀριστερᾷ) [8]), incessu gravi atque placido (βρενθυόμενός τι πρὸς αὑτὸν ἔρχεται) [9]), Altera in parte autem spectaremus adulterum, aut furem, aut cinaedum, aut veteratorem denique in ipsis flagitiis deprensum ἁλόντα ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ [10]). Quod pictor depingere non posset sed interpres fortasse explicaret illum esse hominem usu communi temporis

---

1) Piscator, C. 11.
2) Bis accusatus C. 6.
3) Icaromenippus C. 5.
4) Ibid. C. 5. — Timon. C. 54.
5) Timon. ibid.
6) Ibid.
7) Piscator C. 11. — Somnium sive Gallus C. 10. — Icaromenippus C. 5, 6.
8) Bis accusatus C. 6.
9) Timon. C. 54.
10) Dial. meretric. X, 4. — Icaromenippus C. 21—29.

abreptum, ex fabro lignario vel sutore philosophum factum, [1]) nullamque occasionem praetermittentem vanitatis ostendendae et cupiditatibus in omni re indulgendi [2]) et ut verbo dicam in maximum odium hominum perveniendi. Altera autem tabulae pars nulla explicatione egeret. Et id denique commode addi posset, istos philosophos esse innumerabiles *ὥστε κατὰ τὴν παροιμίαν θᾶττον ἂν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου ἢ ἔνθα ἂν ἀπίδῃ ὁ ὀφθαλμὸς, ἀπορήσει φιλοσόφου* [3]) et ipsos cum placitis quae profiterentur ita congruere ut effeminatum histrionem cum Achille, Theseo vel Hercule [4]) eosque non magis genuinis philosophis esse similes quam vulturem lusciniae (*θᾶττον ἂν γὺψ ἀηδόνα μιμήσαιτο ἢ οὗτοι φιλοσόφους*) [5]) denique eos esse quos statim cum Jove optimo maximo *καθ' Ὅμηρον, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης* esse diceres [6]).

Hic est nobilis philosophus Lucianeus quem semper et ubique apud illum iisdem fere coloribus depictum invenies. Vix, opinor, dicere attinet, quod vel paullo perspicaciori ingenio praedito statim patebit, Lucianum etiam hac in re nonnihil *κωμῳδεῖν* et modum excedere. Est tamen aliquid quod ad excusandum eum valet, nempe

---

[1]) Bis accusatus C. 6.

[2]) Piscator C. 34 sqq.

[3]) Bis accusatus C. 6.

[4]) *τὸ πρᾶγμα ὅμοιον ἐδόκει μοι καθάπερ ἂν εἴ τις ὑποκριτὴς τραγῳδίας μαλθακὸς αὐτὸς ὢν καὶ γυναικεῖος Ἀχιλλέα ἢ Θησέα ἢ καὶ τὸν Ἡρακλέα ὑποκρίνοιτο.* Piscator C. 31.

[5]) Ibid. C. 37.

[6]) Icaromenipp. C. 29.

apud aequales multos et sequioris aetatis scriptores tam Graecos quam Romanos *τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν* occurrunt. Convivium v. c. cuius apud Alciphronem mentionem factam invenimus ad verbum fere Luciani convivio simile est et philosophi semper et ubique tam apud illum quam apud hunc interdiu *σεμνοὶ καὶ σκυθρωποί* sunt, noctu vero amant, potant et pergraecantur [1]). Quam similitudinem et constantiam inter se sic optime, opinor, explicabimus, si, praeterquam quod nonnumquam nimii sunt in philosophorum vitiis recensendis eos popularem et communem opinionem exprimere et tueri statuimus, dum populus et tunc et semper plerumque famae servit ineptus et libenter obtrectat quos altius eminere videat. Quibus de philosophis universis prolatis nunc gregatim de iis videamus ut disponere quodammodo possimus non bene junctarum discordia semina rerum quae apud Lucianum de iis litteris mandata invenimus, simul ut cuiusque sectae propria melius appareant et an vera an non sint dijudicari possint. In cuiusque scholae propriis duce Luciano enumerandis, nos quoque *ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα* i. e. ex eo loco in Icaromenippo ubi Lucianus hominum satorem atque deorum loquentem vel potius garrientem de philosophis eorumque sectis inducit; *Οὗτοι τοίνυν,* Juppiter inquit [2]), *εἰς συστήματα διαιρεθέντες καὶ διαφόρους λόγων λαβυρίνθους ἐπινοήσαντες, οἱ μὲν Στωϊκούς*

---

[1]) Cf. Alciphron. III, Ep. 55 et Ep. 64. — Cf. praeterea, de moribus et habitu philosophorum. Senec Ep. 103/4, 68/8. 29/4. Juv. III, 115. II, 1—43. Gell. N. A. XVII, 19. I, 2 Cic. Tusc. II, 4, 12.

[2]) Icaromenipp. C. 29.

ὠνομάκασιν, οἱ δὲ Ἀκαδημαϊκούς, οἱ δὲ Ἐπικουρείους, οἱ δὲ περιπατητικούς, καὶ ἄλλα πολλῷ γελοιότερα τούτων. Has praecipue sectas enumerando probat Juppiter se auctoritatem Caesarum sequi qui earum quatuor sectarum philosophis annua salaria e fisco constituerunt [1]). Verbis Jovis supra laudatis *τὰ συστήματα πολλῷ γελοιότερα* si conjectura a mortali proposita aliquid in deorum effatis assequendum est, fortasse Cynici adumbrantur. — Praeterca multi erant qui ut Noster nil quidquam certi de quaquam re dici posse asseverarent, illamque philosophiam optimam esse censerent quae tradendo praecepta moralia, «idonea vitae» diceret. Primum igitur ut seriem a Jove institutam servemus prodeant in scenam Stoici.

Stoicus apud Lucianum primum est *σκυθρωπός*, [2]) nempe illud commune, ut vidimus, philosophorum omnium sed fortasse in hoc praesertim non sine causa Noster id adjecisse videtur, etenim *ὁ τέλειος Στωϊκός* erat, opinor *αὐστηρός* si quis alius et forma et habitu; fuitque semper id genus cavillandi nimis facile et aptissimum ad risum auditorum vel spectatorum levium praesertim movendum, quod ad habitum alicuius vel ornatum perstringendum valeat. Sed tribuat coronae aliquid et videamus interim quid de Stoicorum philosophia, aetate qua vixerit glis-

---

[1]) Cf. Zeller, die Philosophie der Griechen in ihrer Gesch. Entwickelung, III, 1, 683 u. s. w. Lucian, Eunuchus C. 3. Philostrat. Vita Soph. II, 2. — Cf. Hertzberg, Geschichte Griechenlands, etc. III, 80 sqq.

[2]) Vitarum Auctio C. 20, de Chrysippo *τὸν ἐν χρῷ κουρίαν ἐκεῖνον, τὸν σκυθρωπόν, τὸν ἀπὸ τῆς Στοᾶς.*

cente semper et si unquam alias tum praesertim pervulgata et a multis exculta, statuerit. Refelleritne? Minime vero, neque id facile fuisset maledictis semper, argumentis numquam fere certanti. Jam satis superque eam rem, pro viribus saltem, attigisse mihi videor in ea parte quae pertinet ad Hermotimum illustrandum. Si quis ex Luciano quaesivisset, quid de Stoicis eorumque placitis censeret, trita illa et decantata apud omnes audivisset, solum Stoicum esse sapientem, solum pulchrum, solum justum, fortem, rhetorem et quidquid excogitari possit, [1]) tum aliquid inaudivisset de eo quod vocarent *διάφορον* et *ἀδιάφορον, προηγμένον* et *ἀποπροηγμένον, σύμβαμα* et *παρασύμβαμα*, de quibus omnibus quoque venalem prostantem Chrysippum garrientem inducit, et denique *περὶ τοῦ ἀοιδίμου συλλογισμοῦ.* [2]) Et tandem eundem illum Chrysippum ampullatam orationem ad pessimam rhetorum normam accommodatam habentem audiret [3]) ita ut hac in re vere dicere posses nihil inter esse, « Davusne loquatur an heros », etenim genus dicendi illius

---

[1]) Cf. Vitarum Auctio, C. 20. Hermotimus, C. 16. — Cf. Horat. Ep. I, 106 sqq. Cic. pro Murena, Cap. 29.

[2]) Vit. Auct. 21, 22. De syllogismis de quibus plura dicere in animo est ad eam partem quae est de rhetoribus, Cf. Zeller, die Philosophie der Griechen, etc. II, 1, p. 225 sqq. — Cf. praeterea de Stoicorum placitis Zeller, III, 1, 32-363 et de Stoicis aetate imperatoria. Ibid. 683—763; de Graecis vocabulis supra laudatis Cic. de Fin. III, 16, 52, 53. Johann. Stobaeus Ethica. Lib. II, 6. 6.

[3]) Piscator, C. 22.

de quo vulgo ferebatur, teste Diogene Laertio εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά [1]) fere idem esse invenies atque abjectissimi et gulae tantum servientis nescio cujus Hetoemoclis in eo libello cui titulus Συμπόσιον ἢ Λαπίθαι. [2]) Quibus aliisque intempestivis facetiis fretus in quorum numero illa quoque est quam legimus in secundo libro τῆς ἀληθοῦς ἱστορίας, ubi in Beatis Insulis nemo Stoïcus adesse dicitur quod illi semper adhuc τὸν τῆς ἀρετῆς ὄρθιον λόφον ascendant [3]), si Lucianum tantum auctorem sequi velles, ad deridendum et contemnendum quidquid esset aut umquam fuerit Stoicorum facile adducereris, etenim hanc sectam philosophorum maledictis ab Luciano praesertim oneratam esse iis quae protulerimus luculenter probasse speramus, idque eo saeculo quod tot tamque nobiles Stoicos procreasse satis constat, quales sunt Seneca, Epictetus, Musonius, Cornutus Persii praeceptor, Marcus Aurelius. Quodsi ridendo dicere verum nihil vetat, ridendo infringi veritatem certe nemo unquam probavit. Est igitur quod succenseas aliquid ceteroquin festivo et lepido irrisori quod apud illum ut in castris Agamemnonis semper ἐν δὲ Ϝιῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός. Quod ad academicos philosophos attinet non nisi sparsa et rara vestigia apud Nostrum de ea secta offendimus.

---

1) Diog. Laert. VII, 7, 5.

2) Cf. Symp. C. 22 sqq.

3) Verae Hist. II, 18, praeterea Stoici traducuntur in Convivio nomine Zenothemidis pulmentariis se ingurgitantis, et Timoclis in Jove Tragoedo victi ab adversario Epicureo et abjectissimis maledictis utentis. cet. Somnium sive Gallus, C. 11.

Etenim philosophia illa qualis a Socrate et Platone tradita erat tractu temporis aliquantum mutata erat, eosque qui Luciani tempore Academiae se adscriberent nomen quidem Platonis et Academiae prae se ferentes, doctrina et placitis vere ἐκλεκτικοὺς dicere posses. [1]) Jam ab Arcesilai inde temporibus, saeculo tertio ante Christum natum, habuit hoc Academia quod Cicero nobis rettulit in Academicis [2]) de ipso, quem nominavimus, Arcesilao «quod negaret esse quidquam quod sciri posset, ne »illud quidem ipsum quod Socrates sibi reliquisset, sic »omnia latere in occulto, neque esse quidquam quod »cerni aut intelligi posset; quibus de causis nihil opor»tere neque profiteri, neque affirmare quemquam neque »assensione approbare», Illud ipsum quod neque quidquam affirmaret neque assensione approbaret ab Academicis vocabulo ἐπέχειν designari solebat [3]), quod avide Lucianus arripuit unde tela sumeret in Academiam et quidquid esset huius sectae philosophorum conjicienda. Audiamus modo. In «Bis accusato» [4]) prima quae recitatur causa haec est: *Μέθη κατὰ τῆς Ἀκαδημίας ὑπὲρ Πολέμωνος ἀνδραποδισμοῦ*. Satis nota res est, ut est enim apud Horatium:

Mutatus Polemon

. . . .

---

[1]) ZELLER, Die Phil. der Griechen, etc. III, 1, 810.

[2]) Acad. I, 12, 45.

[3]) Diog. Laert. IV, 6, 28.

[4]) Bis accusatus C. 13.

Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri. [1])

Academia hac in causa igitur accusatoris vice fungitur, accusatori autem hoc certe efficiendum est ut habeat quo nitatur, unde adversarium petere possit; habebat autem hoc, ut supra dictum est, media et nova Academia ut nihil pro certo dicere posset, quare necessario contra omnium sententias in utramque partem illi disputandum est. Primo igitur pro ebrietate dicere incipit, deinde pro se ipsa perfidissimi causidici vel praevaricatoris instar, qui non id potissimum sibi propositum habeat ut *τὸ εὖ νικήσει*, verum ut ostendat omnem causam quamvis lubricam et abjectam argumentis utcumque argutis atque fallacibus muniri posse. [2]) Neque tamen Luciano satis est *τὸ τῶν Ἀκαδημαϊκῶν ἐπέχειν* illo ambiguo et ancipiti disputandi genere in ridiculum vertisse, plura etiam Academiae eiusque sectatoribus perferenda sunt. Legimus in Verae Historiae libro secundo [3]) *τοὺς δ' Ἀκαδημαϊκοὺς ἔλεγον ἐθέλειν μὲν ἐλθεῖν* (scil. in beatas insulas) *ἐπέχειν δ' ἔτι καὶ διασκέπτεσθαι, μηδὲ γὰρ αὐτὸ τοῦτό πω καταλαμβάνειν εἰ καὶ νῆσός τις τοιαύτη ἐστίν.* Aliquanto plus reverentiae tribuitur Ioni Academico in Convivio, qui est certe *ἀνὴρ καλὸς κἀγαθός* inter spurcissimos illos et perditos convivas;

---

[1]) Hor. Sat. II, 3, 254 sqq. — Cf. Diog. Laert. IV, 3, 16 sqq.

[2]) Quod mihi scribenti venit in mentem consimilis loci apud festivum in Gallia scriptorem, qui eiusmodi abjecti causidici salsissime imaginem nobis depinxit. Ed. LABOULAYE, Le Prince Caniche, Chap. V.

[3]) Verae Historiae, II, 18.

erat enim *σεμνός τις ἰδεῖν καὶ θεοπρεπὴς καὶ πολὺ τὸ κόσμιον ἐπιφαίνων τῷ προσώπῳ*, cui advenienti assurrexerunt omnes et illum tamquam ex superis aliquem salutaverunt [1]), at in Philopseude eundem Ionem offendimus inter illos aniles nugas agentes atque obiter eius nomini apponitur illud: *τὸν ἐπὶ τοῖς Πλάτωνος λόγοις θαυμάζεσθαι ἀξιοῦντα*, tamquam qui unus accurate Platonis sententiam perceperit et aliis interpretari possit. [2]) Quoniam semel in Academicis versamur, haud abs loco nobis videtur in medium aliquid proferre de eiusdem scholae philosopho cuius nomen oblivione certe obrutum esset, nisi Lucianus in cognomine libello de illo mentionem fecisset, Nigrinum dico. Minime mirandum videtur hunc dialogum semel et iterum a commentatoribus in spuria esse rejectum. Quod ad me attinet hac in re sequar Academicorum rationem, *τὸ ἐπέχειν* optimum esse ratus praesertim quum ea sim aetate, qua arrogans et tamquam ex tripode pronunciata sententia et nullam auctoritatem afferat et nimiae opinionis sui manifestum et evidens documentum sit. Quod quum faciam tamen est in animo quae post repetitam Nigrini lectionem animadverterim et annotaverim proponere, si forte criminibus explicandis officio functus esse dici possim. Obiter addamus Nigrinum ab Immanuelo Bekkero spurium judicatum, ab Carolo Ranke addubitatum, a Wielando inter primos Luciani dialogos esse positum [3]), quibus

---

[1]) Symp. sive Lapithae C. 7.

[2]) Philopseud. C. 6.

[3]) Ranke, Pollux et Lucianus. Commentatio, Quedlinburgi anno 1841, p. 23. Wieland, Lucians von Samosata sämmtliche

philosophos roderet. Quod ii qui Lucianum auctorem Nigrin esse volunt, saltem concedant, credo, necesse est, nam totus dialogus κατὰ τὸν τῶν ῥητόρων νόμον ampullato stilo conscriptus est et omnino si semel et iterum legas hoc habet ut nusquam fere elegantem et subtilem Luciani scribendi modum agnoscas. Quis fuerit Nigrinus nemo mortalium, opinor, pro certo affirmare potest quia ab aequalibus vel sequioris aetatis scriptoribus nusquam de eo mentio fit; fortasse magna ex parte clarus philosophus evasit tumidis laudibus sibi a parum adhuc in philosophia versato et rudi adolescentulo tributis. In eo libello Lucianus fingit se Romam venisse invocatum medici auxilium contra oculorum morbum, ibique degentem se Nigrinum Platonicum philosophum adiisse. Qui in mores aequalium Romanorum praesertim multa invectus fere eadem et nonnunquam vocabulis plane iisdem in iis reprehendit atque Juvenalis in satira tertia, ubi incommoda et pericula vitae urbanae tam acriter vituperantur [1]) hoc tantum discrimine quod omnibus salibus, quibus Juvenalis Graecos et Graeculos perfricuit, Nigrinus Romanos insectatur. Quod legimus in titulo libelli, «de moribus philosophorum» perperam additum videtur a grammatico nescio quo alias res agenti, etenim non tantum philosophi perstringuntur, immo vero de illis prope nulla mentio fit prae aliis qui a Nigrino male audiunt. Simplicitas morum qualem Ni-

---

Werke mit Anmerkungen u. Erläuterungen versehen von C. M. WIELAND, I, 18.

[1]) Cf. v. c. Nigrinus C. 20: μαρτυρομένης τῆς Τύχης παίζειν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα sqq. cum Juvenali. Sat. III, 40.

grinus Athenis esse fingit ita depingitur ut statim vel semel libellum legenti, ea omnia quae ad hanc partem attinent falsa et ficta esse videri debeant. [1]) Ut in re evidenti paucis absolvam, Romani, inquit Nigrinus, sunt *κολακείᾳ τὰ πάντα καὶ δουλείᾳ σύντροφοι,* Athenienses contra adeo simplices et frugales sunt ut vel luxuriosum advenam paullatim transforment et mores dedoceant; equidem libenter fidem haberem si ea dicerentur de Solonis vel Pisistrati aequalibus, at de Atheniensibus aetate imperatoria, populo foedae et turpissimae adulationi supra quam credi posset dedito, ea non nisi *εἰρωνικῶς* perhiberi posse quis est, qui non statim videat. [2]) Parcam verbis quum tot et tam claris argumentis hinc illinc petitis res eluceat. Cum autem Nigrinus uno eodemque tumido et inflato tenore corruptos Romanorum mores perstrinxisset, Lucianus quasi furore quodam abreptus incenditur. Quae illius rei causa sit candide fateor me non intelligere, et quomodo id cadere possit in illum quem saepe alias risu *σαρδονικῷ* aequalium pravitatem increpantem vidimus, vix capio. At, inquies, de vera philosophia Nigrinus cum illo collocutus est. Mirum tamen videtur quomodo saltem non uno loco principum philosophorum placita aut nude exponere, aut in ridiculum convertere potuerit, et si illud etiam concederem num tamen ideo Nigrinum trita illa et obsoleta de pravitate morum disserentem tam

---

[1]) Nigrinus C. 13, 14.

[2]) Testimonia adulationis et corruptionis morum praesertim Atheniensium, et ubique leguntur et apud HERTZBERG, Die Geschichte Griechenlands II, passim occurrunt cf. p. 250 sqq.

acerbum aculeum in animo auditoris eiusque sceptici reliquisse putemus, ut non solum ille ipse sed etiam amicus, qui postea ex Luciano Nigrini narrationem audiverit, statim eodem furore et animi elatione corripiatur. Est hoc, ut nos quoque, ut in Nigrino semel et iterum fit, translatione a scena desumpta utamur, est hoc, inquam, pessimorum histrionum, non sana mente praeditorum hominum in usu atque consuetudine vitae communis. Adjice huc jam saepius animadversam et notatam inflatam scribendi rationem qua auctor in eo libello usus est, quo in genere certe est illud: *τὸ πάθος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ* pro *ὀφθαλμία* (C. 2) et quod alibi legitur *οἱ Ῥωμαίων παῖδες*; quae calamistris inusta oratio nonnunquam sensum verborum plane obscurat, quemadmodum in paragrapho decima octava ubi Nigrinus dicit se *αὐτῇ φιλοσοφίᾳ καὶ Πλάτωνι καὶ ἀληθείᾳ προσλαλεῖν*. Fac enim Nigrinum dicere voluisse se quotidie versari et arta consuetudine junctum esse cum philosophia, Platone et veritate, certe verbum *προσλαλεῖν* aperte argueret aliquem qui ipse, ut est apud festivum comicum, sit *λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν*. Quid multa? totam illam locutionem et verborum ordinem esse fatuum et minime convenientem cum eo qui se vaniloquentiam et fastum verborum pessime odisse saepius jactet. Quare aut indignemur necesse est quia bonus dormitavit Homerus, aut Nigrinum ab nescio quo verborum ostentatore conscriptum esse statuamus, qui cum Romani semper tela jacere solerent in Graeculos et Graecam urbem quam ferre non possent [1]), causam popularium

---

[1]) Juv. III, 60.

male habitorum susceperit, et Romanos eorumque mores in trutina posuerit. Nihil aliud nisi levis et omni stabili et certo argumento carens ea suspicio est, quam a nonnullis motam esse video, secundum quam sub senis illius persona qui in Hermotimo jam quindecim annis ante Luciano philosophiae studia commendasse fingitur, et cuius nomen ab auctore nusquam traditur, idem ille Nigrinus lateret. [1]) Fieri potest, sed quo argumento tandem conjectura illa nitatur equidem non video. Nominatim Nigrinus occurrit nusquam, quod, opinor, factum esset, praesertim ea aetate, si Nigrinus tantam famam in philosophia esset assecutus quantam cognominis libelli auctor nobis probare et persuadere voluerit. Nunc id tantum dicere possumus famam illius unico illo libello niti, ceterum autem urgueri illum ignotum longa illa nocte, qua multi fortes ante Agamemnona viventes, «carent quia vate sacro».

Jam supra diximus Epicureos, — nam jam ad illos venimus secundum ordinem a summo Jove institutum — ex omnibus philosophis a Luciano minime esse male habitos. Hac in re quoque illum fidelem temporis speciem praebere dilucide patet. Nempe hoc pro certo affirmare possumus doctrinam illam quae voluptatem summum bonum esse

---

[1]) Hermotim, C. 24. — Cf. Mees, Dissertatio literaria de Luciani studiis et scriptis juvenilibus, p. 48. Ad. Planck. quaestiones Lucianeae. Tubingae, 1810. Conscripsit Lucianus Hermotimum, ut ipse asseverat (C. 13) quadraginta annos natus; annum igitur agens vicesimum sextum secundum supra laudatam rationem Nigrinum conscripsisset.

posuerit, fere omne ferre punctum apud omnes qui a rigidis Stoicorum placitis deterriti nil nisi quietam vitam philosophando assequi vellent. [1]) Systema enim illud quod Macedonum regum dominationi subjunctis Graecis, ab auctore prolatum erat, etiam atque etiam gliscebat postquam simul cum libertate praeclara Graecorum indoles obtusa esset, itemque apud Romanos jamjam moritura et omnino extincta denique libera republica quum nullum aliud *τέλος* esset propositum, voluptatem tamquam summum bonum a multis esse expetitam quid est quod miremur? Quare plerumque. remota interiore philosophiae epicureae notitia, homines captari et allici solebant verbis teste Seneca Epicuri hortulis inscriptis: Hospes hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est. [2]) Reliqua aut non curabant, aut ut levium plerumque fert consuetudo, deridebant.

Argumenta si quaeris, audi modo Nostrum. Semper bene audit Epicurus eiusque sectae philosophi ut qui summum bonum voluptatem ponant [3]), eius doctrina est inimicissima machinationibus fraudulentis Alexandri qui libros Epicuri comburi jussit [4]), ipsumque sibi finxit apud inferos in coeno desidentem vinctum plumbeis

---

[1]) Cf. Martha, Le poème de Lucrèce, p. 2, 3.

[2]) Seneca, Ep. XXII, 10. — Cf. Tauri philosophi apud Gellium N. A. IX, 5 laudata verba *ἡδονὴ τέλος, πόρνης δόγμα· οὐκ ἔστι πρόνοια οὐδὲ πόρνης δόγμα.*

[3]) Cf. Pro lapsu C. 6. Hermotimus C. 36. Ibid. 16.

[4]) Alex. C. 1, C. 47.

catenis; [1]) contra in Beatorum insulis ubi reliqui philosophi aut non adsunt, aut si adsunt, cum comtemptu tractantur optimus Epicurus cum Aristippo primas ferebat, nempe qui sint *ἡδεῖς καὶ κεχαρισμένοι καὶ συμποτικώτατοι.* [2]) Artissime hoc loco, ut obiter id tangam, quia sejunctum est a re proposita, conjunguntur Aristippi Cyrenaïcorum principis et Epicuri nomina, quum tamen illius, si quid credimus Ciceroni, longe alia de ipsa voluptate esset sententia atque Epicuri, [3]) etenim multo magis Epicurus, *ἀταραξίαν* illam voluptate assequi volebat, Aristippus contra voluptates et libidines corporis summum bonum ponebat, [4]) quam sententiam Lucianus perstringere volens, credo, Aristippum in Vitarum auctione [5]) ebrium venalem prostantem inducit quare *ἄκρατος ἔοικεν.* Sed jamjam redeo unde huc digressus sum. Audivimus jam Epicurum *φιλήδονον*, idem nunc *ὑβριστής* audiet a Jove quod vel maxima laus est, quae a Luciano illi impertiri posset. [6]) Tantam vim inesse placitis Epicuri Juppiter perhibet, ut ad deos congregatos ita dicit: *ἢν ἅπαξ οὗτοι πεῖσαι τὸν βίον δυνηθῶσιν οὐ μετρίως πεινήσετε*, quis enim usquam, sic fere loquitur, nobis porro rem divinam facere volet, si hoc nihil sibi profuturum credat; neque mirum est Jovem ita judicare, cum Epicureus Damis

---

[1]) Ibid. C. 25.
[2]) Verae Hist. II, 18.
[3]) Cic. Acad. II, 43.
[4]) Cf. de ea re. ZELLER, Die Geschichte, etc. III, 1, p. 475.
[5]) C. 12.
[6]) Icaromenipp. C. 35.

Stoico dis omnibus invitis sua placita probasset et superior discessisset. [1]) Multis multorum de Epicuro testimoniis auditis id quoque nobis contingere potest ut ipsum audiamus de voluptate summo bono disserentem in Bis accusato contra Porticum, a qua reus citatus est crimine plagii. Impense illic Epicurus laudat vulgivagam illam voluptatem qualem Lucianus et levissimus quisque aequalium sibi *τὸ τῶν 'Επικουρείων τέλος* esse fingebant, eamque, inquit, vos Stoici quoque assequi et appetere vultis, sed quia palam, ut ego, id facere non audetis, clam domi abditi voluptatis legibus paretis. Qua oratione habita Epicurus *ὑπερέχει πάσαις.*

Quid opus est pluribus ut ostendam Lucianum non nisi summatim philosophiam Epicuri tangere. Si rogas quid primum, quid secundum, quid tertium sit ex Epicuri placitis, semper idem audies: voluptatem; et Epicurus ipse, de cuius vita et moribus ii quibus cordi erat ut id agerent et vera proferrent longe alia nobis rettulerunt, [2]) apud Lucianum is erit qui contra Stoicos plane nihili argumentis contendat nempe ut ea re perstringatur, id quod animadvertendi jam saepius nobis fuit occasio, contentio quae aetate Luciani intercessit inter diversas philosophorum scholas. [3]) Videtur nonnunquam Luciano

---

[1]) Cf. illud in Convivio *'Εγέλασα 'Επικούρειον ἱερέα* quod Stoicus dicit de Hermone qui erat *ἱερεὺς τοῖν ἀνάκοιν.*

[2]) Diog. Laert. Lib. X. passim.

[3]) Praeter jam saepius memoratum certamen in Jove Tragoedo inter Damidem et Timoclen, Cf. Symp. sive Lapithae C. 9 ubi Zenothemis ita dicit: *εἰ γάρ με δεύτερον ἄξεις του-*

non satis fuisse quod decantaret leve et vulgare judicium profani vulgi, pauca quoque delibare vult de Epicuri philosophia et ostendere se interioris illius notitiae rudem non esse, inaudivit aliquid *περὶ τῶν Ἐπικούρου ἀτόμων*, quod ipsum avide arripuit et — quid dicere attinet — in ridiculum vertit et *παρῳδεῖ*. Apprime, sic fere Menippum loquentem inducit, illi deridendi sunt qui contendunt de terrae finibus, nam *σχεδὸν γὰρ ὁ πολυπλεθρότατος αὐτῶν μίαν τῶν Ἐπικουρείων ἀτόμων ἐδόκει μοι γεωργεῖν* [1]. Fert igitur judicium aequum et praeclarum de illius philosophia, donec non longius procedat quam levissimus quisque qui Epicuri philosophiam tamquam scutum dissolutis moribus praetendere soleret, planeque quadrat in illum quod aliquando teste Seneca Epicurus ipse dixerat de levitate populi probantis neminem nisi quem agnoverunt, [2]) quum causa fortasse cur Epicureos minus male mulcet quam ceteros ea est, quod Epicurei aetate Luciani ita degeneraverant et depravati erant ut id unum sedulo ex magistri dogmatis tenere solerent: *ἡδονὴ τέλος*.

Ne deturbemus philosophorum ordinem a Jove constitutum, ad Cynicos longe longeque omnium qui cognoscantur dignissimos properantibus pauca nobis dicenda videntur de judicio quod Lucianus tulit de iis inter aequales

---

τουὶ τοῦ ἀνδρὸς (Hermonis Epicurei) *ἵνα μηδὲν ἄλλο κακὸν εἴπω, Ἐπικουρείου, ἄπειμι ὅλον σοι τὸ συμπόσιον καταλιπών.* — Cf. etiam Piscator. C. 43.

[1]) Icaromenipp. C. 18.

[2]) Senec. Epist. 29. 9.

philosophos qui adscripti essent Aristotelis sectae. Ordiamur ab eo loco in Hermotimo ubi οἱ Περιπατητικοὶ designantur quasi φιλόπλουτοι καὶ ἐριστικοὶ [1]), quod ab eo ipso loco profecti optime judicare de reliquis possumus; illud enim ipsum ἐριστικοὶ passim occurrit in «Eunucho» ubi nil aliud nisi τὸ φιλοπλουτεῖν causa est τῆς ἔριδος; etenim in eo libello nobis proponuntur duo philosophi Peripatetici inter se rixantes περὶ τοῦ θρόνου et περὶ τῶν μυρίων κατὰ τὸν ἐνιαυτόν [2]), quod erat ut supra ostendimus salarium ab imperatore e fisco philosophis constitutum; qua in disceptatione alter alteri objicit quod indignus est qui munere fungatur, quippe qui castratus sit. Et illud idem ἐριστικὸν ut melius appareat fortasse Cleodemus in Convivio [3]) tam vehementer invehitur in principes Stoicorum et rixam efficit tam gravem ut tandem ipse sponsus ab ebriis philosophis gravi vulnere afficiatur. Quod ad φιλοπλουτεῖν attinet, eius rei quoque in Eunucho mentionem factam invenimus hisce verbis: καὶ μὴν καὶ τὸ δόγμα τοῦτό γέ ἐστι τοῖς Περιπατητικοῖς, τὸ μὴ σφόδρα καταφρονεῖν χρημάτων, ἀλλὰ τρίτον τι ἀγαθὸν καὶ τοῦτο οἴεσθαι [4]) Peripateticus qui in Vitarum auctione venalis prostat

---

1) Hermotim C. 16.

2) Eunuch C. 3.

3) Convivium C. 30.

4) Eunuch C. 3. Cf. de tertio illo bono: Vit. auct. C. 26 τρία εἶναι τἀγαθά, ἐν ψυχῇ, ἐν σώματι, ἐν τοῖς ἐκτός. Cf. Zeller II, 2^3 p. 616. Cic. de Fin. IV, 18. Schwegler, Geschichte der Griechischen Philosophie, p. 237.

inter cetera quibus empturienti homuncioni commendetur, hoc habet ut a Mercurio πλούσιος vocetur. At ea non nisi ad externam speciem et habitum pertinent; videamus autem, quoniam versamur in ea parte τῆς βίων πράσεως ubi de Peripateticis mentio fit, quid auctor protulerit ubi de Aristotelis placitis sit judicandum. [1]) Quod vel maximum est, sic fere Mercurius agit cum emendi cupido, Peripateticus ille διπλοῦς est. Ad quod statim ille mirabundus exclamat: *Πῶς λέγεις;* Bonus autem Mercurius mercaturae fortasse patronus peritissimus et optimus praeco, si quid in philosophia statuendum et explicandum sit sane non *τῶν ἐπαϊόντων τούτων πέρι* significat eum alium extra, alium intus videri *ὥστε ἢν πρίῃ αὐτὸν, μέμνησο τὸν μὲν ἐσωτερικόν, τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν.* Nil ultra rogat emptor et Mercurius quoque de ea re verbum non amplius addit; Lucianus hic quoque satis habuit lectorem trunca et curta illa explicatione munitum a sese dimittere, quod aut male intellexit ipse placita Peripateticorum aut probe sciebat nil ad deridendum esse efficacius quam si quis ea quae apud auctorem apte et ordine conjunguntur, ita nude et sine ordine ullo apponat, quod eo facilius fit, ubi de re ipsa judicandi periti certant et adhuc sub judice lis est. Plane est a re proposita latius de ea quaestione disserere, satis habebimus indicare quo interioris notitiae cupidis iter vertendum sit, nam hic certe valet Vergilianum illud: «Non nostrum inter

---

[1]) Vit. auct. C. 26.

vos tantas componere lites.» [1]) Porro autem, ut jam saepius animadvertimus, ne omnia illa Aristoteli ipsi imputentur, Peripatiticos inter aequales multum esse mutatos ab eo incusat, ita ut Alexandri quondam magister ubi Peripateticum quales essent aetate Luciani, aspiciens indignabundus avertat faciem, dum candide fatetur se *ἀγνοεῖν ὅστις ἐστίν*, et degeneratum philosophum praecipitem a rupe dejici sinit. [2]) Nos quoque Peripateticos non a rupe sed e scena abigamus, in quorum locum succedant Cynici.

In hac praesertim philosophorum secta dijudicanda apparebit Lucianum eum esse qualem jam antea cognoverimus, eiusque naturae propria claris argumentls hic praesertim elucere poterunt. Quam ejus *ἐπιπόλαιον* judicandi rationem artissime cum natura cohaerentem si spectamus minime mirandum est et eum judicium de Cynicis aequalibus tulisse quale tulerit, et tamen inde statuere licebit quanti Cynici aestimandi sint. Inter Lucianum enim et Cynicos contentio et imimicitiae intercedant necesse est, *ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν*

---

[1]) Cic. de Fin. V, 5. Gell. N. A. XX, 5. ZELLER, Die Geschichte etc. II, 2, 115 sqq. SCHWEGLER, Geschichte der Griechischen Philosophie, p. 194. Vix dicere attinet ea quae Mercurius deinde profert: *ἔτι δ' εἴσει παρ' αὐτοῦ πόσον μὲν ὁ κώνωψ βιοῖ τὸν χρόνον* et quae deinde sequuntur insulsas et ineptas esse nugas quibus perstringantur Aristotelis *φυσικά*, „dummodo risum excutiat sibi, non hic cuiquam parcet."

[2]) Cf. Piscator, C. 50, de Peripateticis aetate imperatoria, Cf. ZELLER III, 1, 776 sqq.

ὅρκια πιστά; fieri non potest quin sit φύσει πολέμιος, primum quod pro indole quid velint non intelligit, deinde ut fit illi externa quam praebent species sit judicandi norma atque ratio. Quare Luciani de iis judicium ad verbum exprimit quod Alciphron hominem rusticanum dicentem inducit [1]) de Cynico eiusque horrido habitu. At vero facile ignoscas inurbano et sordido homini ita loquenti, eleganti vero et urbano rhetori atque philosopho non item. In illo enim cum valeat: Ne sutor ultra crepidam, in hoc reprehendenda est levis et praematura judicandi ratio. [2]) Cynici enim ἐντεθραμμένοι ἐλευθερίᾳ καὶ παρρησίᾳ tum semper praesertim floruerunt quum libertas, qua nihil habebant carius, oppressa et extincta jaceret sub gravi dominatione, non ut multitudinem effrenatam contra tyrannos concitando novis rebus studerent, sed ut se ipsos quasi exemplum et ἰδέαν libertatis et contemptus eorum proponerent quae aliis magnopere colenda et expetenda viderentur, semperque id agerent ut cum, tamquam in naufragio, actum esse de omnibus videretur se ipsos saltem et eos qui placitis quae profiterentur obsequi vellent, extraherent et tutos praestarent.[3])

---

[1]) Alciphron, Ep. III, 40, καὶ ἔστιν ἰδεῖν θέαμα ἀποτρόπαιον καὶ φοβερόν, κ. τ. ἑ.

[2]) Cf. J. Bernays, *Lucian u. die Kyniker*, p. 42. Aus einem wie es scheint, nicht sehr erfolgreichen Advokaten, war L. ein sehr erfolgreicher Literat geworden, *dadurch* dass er die Stimmung *der gebildeten Durchschnittsmenschen* im zeitalter der Antonine mit der Gewandtheit eines betriebsamen und nicht ungraziösen Syrers zu treffen gewusst hatte.

[3]) Cf. omnino de Cynicis Bernays, p. 21--41.

Quorum natura atque indoles quid est quod miremur, si male aut omnino non intellecta sit ab eo homine, cui omnis fere philosophia esset derisui eiusque summa inesse videretur in anacreonteo illo:

τὸ σήμερον μέλει μοι
τὸ δ᾽ αὔριον τίς οἶδεν; [1])

Audiendus igitur est si cognoscere volumus quibus vitiis Cynici imbuti essent, aut si diu multumque versati in scriptore qui Cynicos supra quam fas est auget, et alteram partem audire volumus, quum praesertim hic valet quod ab initio diximus apud illum non placita alius sectae vel doctrinae alii opponi, verum, licet modum excedat, arbitrium an vera, an non sint quae proferat apud lectorem sit. Quid esse debet de Cynicis statuendum optime his verbis exprimi posse censeo: Cynici erant ii qui id efficerent quod Lucianus Charonem in cognomine dialogo conantem aut saltem cupientem facere fingit, nempe qui homines inclamarent: [2]) *Ὦ μάταιοι, τί ἐσπουδάκατε περὶ*

---

[1]) Cf. Bernays, p. 42 sqq., 45. Man sucht bei ihm vergebens nach einer Ahnung des so nahe bevorstehenden Zusammenstürzes, dessen drohende Vorzeichen schon dem tieferen Blick eines Tacitus nicht entgangen waren.

[2]) Charon C. 20. — Cf. Epictet. III, 22. verus Cynicus, inquit, *εἰδέναι δεῖ ὅτι ἄγγελος ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀπέσταλται πρὸς τοὺς ἀνθρώπους περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, ὑποδείξων αὐτοῖς ὅτι πεπλάνηνται καὶ ἀλλαχοῦ ζητοῦσι τὴν οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ, ὅπου οὐκ ἔστιν, ὅπου δ᾽ ἔστιν οὐκ ἐνθυμοῦνται.* Cf. 46.

ταῦτα; παύσασθε κάμνοντες· οὐ γὰρ εἰς ἀεὶ βιώσεσθε· οὐδὲν τῶν ἐνταῦθα σεμνῶν αἴδιόν ἐστιν, οὐδ' ἂν ἀπαγάγοι τις αὐτῶν τι ξὺν αὐτῷ ἀποθανών, ἀλλ' ἀνάγκη αὐτὸν μὲν γυμνὸν οἴχεσθαι, τὴν οἰκίαν δὲ καὶ τὸν ἀγρὸν καὶ τὸ χρυσίον ἀεὶ ἄλλων εἶναι καὶ μεταβάλλειν τοὺς δεσπότας. Ad quod Mercurius, noli id facere, inquit, opera impensa enim plane periret, nam paucis admodum exceptis audire nec poterunt nec volent ea quae tibi proferre in animo est. Charon Mercurio morem gerit quippe qui fastu et *σαρκασμῷ* plane similis sit auctori a quo in scenam producitur non ut sanet et relevet, verum ut derideat et perstringat. Sanandi autem et relevandi partes illi tueri poterant, qui pera tantum vilis cibi plena, baculo praediti et hirsuto amiculo velati circumvagantes, vel habitu atque vestitu [1]) diserte ostenderent sibi nihil esse commune cum effusa voluptate atque dissolutis moribus aequalium; Luciano vero plane deerat firmus ille animi vigor et severa gravitas qua una solaque in illo gurgite libidinum atque nequitiae emergere posset. Quod ipsum probe sentiens se potissimum a Cynicis peti intelligit, qui vel eo nomime accusator verus esse non possit quoniam permulta sint crimina quae sibi cum iis quos reos agat communia sint; etenim quanto strenue agendo aliis viam munire et vitae felicis praecepta tradere melius est quam improbare quae mutare nec velis nec possis, tanto plus

---

[1]) De habitu et vestitu Cynicorum cf. Epictet. III. 22. Luc. Piscator C. 45. Cataplus C. 19, de morte Peregrini C. 15. et alibi passim.

Cynicis quam Luciano tribuamus necesse est. Qua de re illi potissimum sectae bellum internecivum indictum est eiusque vitia multo acrius et acerbius quam reliquorum perstringuntur. Cynicus apud illum semper est omnium reliquorum spurcissimus in convivio verbi causa, ubi, ut jam saepius ostendimus, nemini philosophorum parcitur, Alcidamas Cynicus longe gravissimis maledictis oneratur. [1]) Primum. invocatus irruit, dein postquam multas molestias exhibuit ipsi Aristaeneto, coenae domino et omnibus convivis, humi jacuit seminudus quumque propinasset sponsae *Ἡρακλέους ἀρχηγέτου, ἄχρι πρὸς τὸ αἴσχιστον* se denudat et tandem bene potus omnes fere qui aderant ne sponso quidem excepto baculo graviter vulnerat. [2]) Neque haec solum dicuntur in abjectissimum nescio quem Cynicorum, sed ne princeps quidem omnium melius audit. Apud reliquarum sectarum philosophos, magistris saltem parcebatur aliquantum, Diogenes vero aeque acerbe ac omnes sectatores tam boni quam mali tractatur. In Vitarum auctione [3]) postquam Diogenes insulse suum ipsius modum vivendi depinxit et emptuiens anxie exclamavit: Equidem vero flagris caesus semper doleo, non enim sum praeditus testudine cancri, Diogenes perinepte Euripidei illius leviter mutati illum admonens ita dicit: *ἡ φρὴν σοι ἀλγήσει, ἡ δὲ γλῶσσα ἔσται ἀνάλγητος.* Idem Sinopensis in Bis accusato [4]) ubi *ἡ Ἀργυραμοιβική*

---

1) Cf. Convivium passim C. 12, 13, 14 sqq.
2) Ibid. C. 44. sqq.
3) Vitarum auct. C. 8. 9, 10, 11.
4) Bis accusat. C. 24.

illum *δρασμοῦ* incusat, accusatricem ne verbum quidem muttire sinit, sed statim exclamat *ἐγὼ αὐτίκα μάλα πατάξω τῷ ξύλῳ,* plane similis Herculi Aristophaneo illi, qui legatus missus *περὶ διαλλαγῶν* confestim eum quicum de pace sibi deliberandum esset strangulare voluit [1]). — Peregrinus Proteus, qui olim Christianus posthac Cynicus et ideo non uno nomine Luciano odio erat et in cognomine libello et in eo cui nomen Fugitivi pessime mulcatur, quamquam ab alio eiusdem aetatis scriptore vir gravis atque constans nominatur, quem ipse auctor «cum frequenter ad eum ventitaret multa hercle dicentem utiliter et honeste audivisset» [2]) Luciano autem judicandi ratio haec est: si modo Christianorum doctrinae assecla esset, esset quod alto supercilio commiseratione eum dignum censeam, at vero Cynicus etiam quum sit, non amplius est audiendus. Nam saepius legenti supra laudatum libellum dilucide patet non contra Christianos scriptum esse qui non nisi obiter tanguntur, dum Cynici etiam atque etiam memorantur et impugnantur, ut de illis opima spolia reportentur [3]). Jam semel atque iterum locuti sumus de Jove confutato, eo quoque dialogo Lucianus duos laedit in uno nam homuncionem quem ibi Jovem in angustias compellentem vidimus, quem «catelli» nomine inducit (*κυνίσκος*) multo

---

[1]) Aristoph. Aves. 1575, 1578.

[2]) Cf. Gell. N. A. XII, 11. — Cf. Bernays, Luc. u. die Kyniker, p. 52—64.

[3]) Cf. Bernays, passim.

melius Epicureum nominare potuisset, quia Jovi probare conatur, se minime illum reformidare quandoquidem *πρόνοια* non sit [1]) dum tamen ex supra laudatis Epicteti verbis, si de Cynicis disputatio habetur, testis paullo quam Lucianus est gravioris, verum Cynicum se tamquam Jovis legatum ad homines missum duxisse patet. Hunccine igitur Jovem impugnantem inducere, tantum ut communis Cynicorum *παρρησία* male audiat, nonne est illius in quem quoddammodo Ciceronis illud cadat: «si judicat non delectu aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam et quadam etiam temeritate». [2]) Exemplum etiam et signum quod Cynici sequi solebant, ille erat qui multis magnisque laboribus peractis ad Jovem rediit ibique perpetua felicitate fruebatur, Hercules. Apud Lucianum autem nimirum ut haec Cynicorum opinio in ridiculum vertatur, Sinopensis Diogenes post vitam rigidam atque austeram, perfectus helluo evasit et in Beatis Insulis eandem vitam agit quam comici Herculem in terris adhuc degentem agere fingebant. [3]) Quae si Lucianea testimonia de Cynicis audiveris, refer animum paullum

---

[1]) Jupp. confutatus, C. 9.

[2]) Cic. pro Planc. Cap. 9. De Cynicorum *παρρησίᾳ* et nimia agendi dicendique libertate etiam testimonio est persona Menippi apud Lucianum identidem occurrentis, de quo tamen nonnumquam paullo reverentius loquitur. Cf. Dr. Th. Fritsche Menipp. u. Horaz. p. 18 sqq.

[3]) Verae Hist. II, 18. *Διογένης μέν γε ὁ Σινωπεὺς τοσοῦτον μετέβαλε τοῦ τρόπου ὥστε γῆμαι μὲν Λαΐδα, ὀρχεῖσθαι δὲ πολλάκις ὑπὸ μέθης ἀνιστάμενον καὶ παροινεῖν.*

ad alios scriptores ubi Cynicos audies orbem peragrare ut homines quasi evocent ut mores mutent et ad bonam frugem sese recipiant, tum denique senties Lucianum hic saltem esse rejiciendum judicem neque eius jocos vel calumnias Cynicorum famam minuere potuisse. [1]) Id tantum ex Nostro affirmare et pro certo ponere possumus quod jam initio diximus in horum censorum numero fuisse quoque nonnullos, qui Curios simularent et Bacchanalia viverent.

At vero est unus atque alter Cynicus paullo aequius a Luciano habitus. Probe scio quid sibi velint, qui id aut simile quid mihi fortasse contradicerent. Quos ut redarguam antequam Cynicos eorumque philosophiam missam facio, pauca mihi dicenda videntur de duobus sectae illius asseclis: de Demetrio et Demonacte, quorum ille obiter apud Nostrum occurrit, huius autem nomen libello inter Luciani scripta exstanti inditum est. Demetrius Cynicus apud Nostrum bis terve inducitur in libello *περὶ ὀρχήσεως* in controversia cum nobili saltatore cujus miram artis peritiam Veneris et Martis adulterium saltando exprimentis primo addubitat, deinde impense laudat; iterum in libello «adversus indoctum», ubi innata quaedam Cynicis insolentia notatur lepida narratiuncula, qua fingitur Demetrius stolido et insulso librorum amatori Euripideam tragoediam Bacchas e manibus eripuisse librumque dilacerasse

---

[1]) Cf. ZELLER, III, 1, p. 763 sqq., de libello cui nomen *κυνικός* Luciano abjudicato. Cf. BERNAYS, p. 105.

dicens: ἄμεινόν ἐστι τῷ Πενθεῖ ἅπαξ σπαραχθῆναι ὑπ' ἐμοῦ ἢ ὑπὸ σοῦ πολλάκις [1]). Idem Demetrius a ceteris aequalibus scriptoribus tamquam integer, parcus, abstinens nobis depingitur, intimus amicus Senecae et Thraseae Paeti, ob nimiam loquendi protervitatem a Vespasiano expulsus; erat igitur illo tempore vir omnibus notus, multis carus, quod si reputamus, eiusque abstinentiam et frugalitatem diligenter attendimus, ille hercle dignus fuit cui Lucianus plus quam sparsam mentionem tribuerit, praesertim cum, si de tali viro agitur, qui non laudat saepe vituperatori et obtrectatori similis habendus est.

Jam venimus ad Demonactis vitam in quo statim ab initio leguntur haecce: Ne nostra quidem aetas expers est hominum dignorum commemoratione, quod attinet et ad corporis robur et ad animi dotes, quorum vel duo celeberrimi sunt: Sostratus Boeotius, Hercules cognominatus et Demonax philosophus. De Sostrato, sic auctor pergit, alio libro a me scriptum est. — Quo libro? — Certe constat huius libri nec volam nec vestigium superesse. De Sostrato, quod sciam, bis apud Nostrum mentio fit. In tricesimo dialogo mortuorum cum Minoe colloquitur ibique sophistarum more docet Orci judicem nec bene nec male facta hominibus ipsis esse imputanda sed unice Fato deberi.

---

[1]) Tertio occurrit apud Nostrum in Toxari, C. 27, ubi inter nobiles amicos a Mnesippo memoratos nominatur. Toxaris autem a Sommerbrodt, Bekkero, addubitatur. — Cf. Epictet. I, 25, 22. Senec Ep. 18/3, 20/9. 62/3. Dio Cass. LXVI, 13. Suet. Vesp. 13. Zeller, III, 1, 766 sqq.

Tum in Alexandro ubi recensetur super quos perditissimos homines ὁ ψευδόμαντις longe longeque etiam eminuerit, in eorum numero est etiam Sostratus. [1]) At vero de libro, quo Sostrati immanis magnitudo et mora sub divo in Parnasso [2]) et reliqua modum excedentia facta memorantur vestigium superest neque apud Lucianum, neque apud reliquos. Nec facile quisquam, credo, qui paullo diligentius Lucianum lectitaverit, eiusque mores et scribendi rationem cognitam habeat, putabit eiusmodi libellum a Luciano conscribi potuisse, quippe qui plane ab eius ingenio esset alienus. Quod aeque statuamus necesse est in Demonactis vita. Quo erat ingenio minime in illum cadit docere velle generosissimos juvenes qui ad philosophiam animum appellunt, non antiqua tantum exemplaria ad quae se componant sibi proponere sed etiam Demonactem aequalem summopere esse imitandum. [3]) Non hercle illi erat propositum aequales et praesertim « generosissimos juvenes » — deprendis ludimagistrum ἐπ αὐτοφώρῳ — docere, verum, multo magis eos vellicare iisque illudendo et deridendo ostendere quae sequenda, quaeve fugienda sibi viderentur. Identidem Demonactis vitam legenti et relegenti eiusque libelli compositionem cum reliquorum comparanti clarius et evidentius perspexisse mihi videbar esse ὑποβεβλημένον et Luciano abjudicandum. [4])

---

[1]) Alex. C. 4.
[2]) Demonax. C. 1.
[3]) Ibid. C. 2.
[4]) Demonactis vita rejecta est a Bekkero, cui assentitur

Luciani igitur paullo severius et acerbius de Cynicis judicium quoniam e contrario petitis testimoniis mitigare non potuimus, recedant Cynici, quod de iis in utramque partem satis disputatum esse putemus, de scena, in eorumque locum, ut tandem aliquando ad rhetores proprie dictos veniamus, ii qui apud Nostrum audiunt *οἱ ἐπὶ μισθῷ συνόντες* succedant qui nobis facillimum ad ipsos rhetores transitum parabunt.

Nullus est Luciani libellus magis lepidus et venustus, magisque fervido et concitato animo conscriptus quam is in quo amico Timocli dissuadet ne vitam mercenariam eorum sequatur qui in beatorum Romanorum domos intrent. Ea praesertim de causa lepido libello multum tribuimus quod in eo nobis a Graeco homine scite et eleganter exponitur de Romanis judicium, quod tamquam in tabula pictum videmus Romanum illum fastuosum, superbum et acerbe in victos et subditos dominationem exercentem, Graeculum autem demittentem sese, et turpi obsequio nihil non perferentem. Praeterea Lucianus hic saltem de iis quae plane sibi nota essent agere videtur. Cave, sic fere post satis rhetorice compositum prooemium ad Timoclem scribit, ne in talem miseram vitam incidas, ego enim tibi narrabo *περὶ γραμματιστῶν, καὶ ῥητόρων καὶ μουσικῶν καὶ ὅλως τῶν ἐπὶ παιδείᾳ συνεῖναι καὶ μισθοφορεῖν ἀξιουμένων* [1])

SOMMERBRODT, I, XIX. — Cf. BERNAYS, p. 104. ZELLER, III, 1, 771. Miror HERTZBERG, die Geschichte Griechenlands, II, 247 sqq. ne primis quidem labris attigisse rem controversam.

[1]) De mercede conductis. Cap. 4.

Primo apparitorem agere et saepe optima veste indutum salutatum ire et reliqua libero homini vix ferenda te perpetrare oportebit dum ille alto supercilio πολλῶν ἑξῆς ἡμερῶν te ne aspicit quidem. [1]) Fac autem illum tandem te videre et ad sese vocari jubere, quid postea? Trepidans et multo manans sudore adduceris ad futurum dominum, plane nescius quid illi respondeas, quum fit ἐξέτασις εἰ οἶσθα τὰ μαθήματα, quae disquisitio simul cum aliis habetur ut Romanus dignoscere posset peritissimum. Quo tentamine quum perfunctus es omnis tua superior vita diligenter inquiritur et tum demum quum et uxor et procurator et dispensator te admissum esse volunt, admissus eris. Fortasse putares te jam νενικηκέναι τὰ Ὀλύμπια et ad summum fortunae gradum ascendisse, at quam misere decipieris. Mox te mensae adhibebit ille, τὰ προτέλεια τῆς μελλούσης συνουσίας, inter coenam autem quamvis siti excruciatus prae metu et pudore, cum sis in tam ampla et beata domo, aquae poculum poscere non audes, attamen non imo loco accumbis, immo vero praelatus es iis qui jam multos annos in eadem domo servitutem pertulerint. Hi autem ob id ipsum irati hisce verbis de te loquuntur: μόνοις τοῖς Ἕλλησι τούτοις ἀνέῳκται ἡ Ῥωμαίων πόλις. Tu autem interim strenue postquam vinum tibi ministratum est, bibisti, οἴνου λεπτοῦ καὶ δριμέος et urgente alvo male habes. Post coenam peractam autem abire poteris quo velis, ut crapulam edormias et post vomitionem nocturnam mane cras te adesse opor-

---

[1]) Ibid. Cap. 10 sqq.

tebit ut cum domino de mercede constituenda agas. In hac ipsa re se ostendet sordidum illud Romanorum ingenium. Venis in conspectum domini qui duobus tribusve amicis praesentibus te assidere jubet, tum magnifica pompa verborum declarat se velle te omnia ita instituere ut semper communia omnia sibi tecum esse memineris et multa locutus de tua mediocritate et frugaliore vivendi ratione, tibi ipsi faciet copiam constituendi mercedem quam eo moderatiorem poscere te admonet quo plures singulis annis occasiones sunt tibi supra pactum largiendi aliquid. Plane haeres in respondendo et prae pudore ipsi domino permittis ut mercedem constituat. Quod quum pernegat, quendam ex praesentibus amicis intercedere jubet et dicere quod neque sibi grave sit, nec vile tibi accepturo. Is autem foedus domini assentator te fortunae filium esse clamat quum intromissus sis *ἐς τὴν πρώτην οἰκίαν τῶν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ*. Cuius domus magnificentiam et splendorem quum laudibus cumulaverit, exiguam aliquam mercedem nominat. Ex angustiis jam amplius te eripere non potes, mercenarius factus es, et quum illam praedicatam fortunam statim non videas, in dies speras futura semper meliora fore, quod contra longe secus est. En verissime et vivo colore depictus Romanorum sordidus agendi modus cum «Graeculis esurientibus». Postquam autem frenum servitutis recepisti, tibi amplius non licet ab hero tuo recedere, semper cum illo te conspici oportet, ut ille ostendere possit se ne in via quidem curam Musarum deponere, neque quum ad cenam advocaris, eo venis ut ante honoratus, verum eorum quae circumferuntur ne frustulum quidem tibi gustare licet, ossa sola rodenti

canum instar. Cave interim ne plus justo oculos convertas in uxorem domini aut puerum formosum, alioqui grave periculum tibi conflabitur. Hoc misero modo vitam deges, donec tabem vel podagram contraxeris et quum morbis illis affectus saepe tibi decumbendum erit, simulata aegrotatio videbitur et officiorum fuga. Huic aerumnosae vitae mercede conductorum Graecorum modo finem imponi posse Lucianus docet calumnia quadam illata, qua Graeculus foras expellatur, quamque avide dominus arripit quod decrepitus jam et senio confectus philosophus vel rhetor non amplius unius assis aestimandus esse videtur, et contra quam se defendere misellus homo non potest cum Graeculus qui sit *καὶ ῥᾴδιος τὸν τρόπον καὶ πρὸς πᾶσαν ἀδικίαν εὔκολος* a nullo fide dignus habeatur. Est operae pretium hocce Luciani judicium de Romanis eorumque cum Graecis agendi ratione componere cum notisssima Juvenalis satira tertia. Apud hunc Graecus et Graeculus idem fere est ac homo improbus et nefarius cui omnia lucro inferiora sint [1]), totusque ille Graecorum grex, qui Romae degit, fallax et sine fide ulla [2]) urbanae faecis haud minima pars est. Inesse in his vera nemo negabit, sed purum putum Romanum Graecum semper contempsisse et contumelia affecisse aeque constat utique postquam « Graecia capta ferum victorem cepit et artes intulit agresti Latio ». Neque solum ii qui Graecarum literarum

---

[1]) Cf. 75 sqq. Omnia novit Graeculus esuriens; in caelum jusseris, ibit.

[2]) Cf. vs. 100: natio comoeda est.

Conferendus videtur de mercede conductis. Philostrat.

expertes erant ita judicabant, verum elegantissimus quisque Romanorum Graecae linguae et literarum probe peritus tamen non nisi cum contumelia atque contemptu de indole et moribus Graecorum loquitur. Odio erat Romano gravi, severo, crudeli plerumque nimia illa alacris dicacitas et sollertia Graecorum propria. Tribuo Graecis, Cicero inquit, literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniosum acumen, dicendi copiam; denique etiam si qua sibi alia sumunt, non repugno; testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit, totiusque huiusce rei quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus ignorant. [1]) Livius illis imputat lingua magis strenuos esse quam factis [2]) et idem ille Cicero, Athenis et Rhodi Graecis literis et disciplinis eruditus, earumque tota vita fervidus amator et quod supra laudavimus et perversitatem iis objecit maledictis insectandi eos, a quibus de veritate dissentiunt. [3]) Attamen statuamus necesse est Ciceronis

---

Vit. Soph. II, Cap. 19, de Rufino quodam Apollonii ex concubina filio: *καθάπτονται αὐτοῦ τινες καὶ τὸ σταλῆναι εἰς Μακεδονίαν μισθωτὸν οἰκίας οὐδ' εὖ πραττούσης ἀλλ' ἀφείσθω τῶν τοιούτων· εὕρομεν καὶ τῶν πολὺ σοφῶν ἐνίους πολλὰ καὶ ἀνελεύθερα ὑπὲρ χρημάτων πράξαντας.* Qui locus dilucide declarat quam in opinione omnium jacerent isti mercede conducti Graeculi; certe si Rufinus ille patriam hostibus prodidisset aut aliud flagitium mercede accepta commisisset haud contumeliosius designari potuisset.

[1]) Cic. pro Flacc., C. 4.

[2]) Liv. A. U. C. VIII, 22.

[3]) De Fin. II, 25.

et Livii magisque etiam Juvenalis temporibus esse perpaucos Graecae gentis vetere Graecia dignos, multoque majorem partem esse levem, ad quamvis foedam assentationem paratam, temporibus callide servientem. [1])

Transitus a philosophia ad Rhetoricam aetate Luciani praesertim facillimus est. Philosophia enim, quam praesertim circum moralia praecepta versantem vidimus, ad ea tradenda rhetorica arte nequaquam carere potuit; quae ars autem administra primo, postea sibi vindicabat omnia, idque tantum agebatur ut pulchre et ornate, nonnumquam etiam tumide atque fucate philosophi quae sentirent eloquerentur, diligenter elaborantes ut ea quae sexcenties ab aliis dicta essent elocutione et dicendi genere pro novis et inauditis auditoribus venditarentur. [2]) Quo necessario fiebat ut auditores ipsi non tam quid audirent quam quo modo id audirent nescirent. Minime igitur mirum videtur quod semper apud aequales scriptores mentionem factam videmus de rhetorum studiis et exercitationibus, quibus a teneris unguiculis pueri erudiri solebant quo educandi genere efficiebatur ut in «quadriviis et angiportis» etiam rhetores declamarent et praetereuntibus paullo elegantioribus exhiberent molestias. Quod genus hominum ut melius cognoscamus, Lucianum sequamur ducem, ita vero ut hic quoque aliorum scriptorum testimonia cum eius conferamus. Omnino sine controversia

---

[1]) Cf. Cic. ad. Quint. Fratr. 1, 1, 5, 16, 6, 18. — Cf. MARTHA Les moralistes sous l'empire Romain p. 302 sqq.

[2]) Cf. BOISSIER, La Réligion Romaine II, p. 112.

mihi perhibere posse videor ipsius Luciani personam nobis fidelem exprimere imaginem rhetoris, longe longeque festivioris et acutioris fortasse quam bona pars ceterorum erat, attamen rhetoris, cui disciplinae, si modo accuratius paullo spectamus et perpendimus, per totam vitam fere deditus erat. Salsissime ille quidem semel atque iterum rhetores perstrinxit etiam iis libellis qui longe alio consilio scripti esse videntur [1]); ipse tamen semper speciem rhetoris prae se ferre solet; dissertationes eius, philosophicae etiam tumide nonnunquam rhetorum more conscriptae sunt; Hermotimus est eiusmodi. quem Philostrati instar vere nomine *ῥητορικῆς φιλοσοφούσης* designare posses; et admodum senex etiam libellos conscripsit certe affectato et tumido dicendi genere aequiparandos cum iis quos *ἀκμάζων ἔτι* semper deridere et traducere soleret. Numquam ex omni parte se avellere potuit ab arte rhetorica qua puer adhuc imbutus erat, licet omnium intentione virium id contenderit. E schola rhetor evasit, rhetor mansit; ubi rhetores traducit in probe sibi cognita regione versari videtur. Audiamus igitur illum rhetorum aequalium propria et vitia exponentem.

Eloquentia qualis floruit aetate Luciani plane similis est ipsis Graecis quales eos ea aetate fuisse cognovimus: prorsus degeneravit; ea enim quae tam arte contexta

---

1) Quorum in numero est Juppiter Tragoedus ubi Jupp. verba Demosthenis in suam rem convertit, et Bis accusatus ubi Rhetorica initium sumit a notissimo exordio orationis *περὶ τοῦ στεφάνου*. Bis accusat. C. 26.

erat cum praeclaro illo antiquae Graeciae ingenio materiem semper satis superque sibi sumens ex vita publica, una cum libertate Graeciae periit et exstincta est. Attamen rhetores esse Graeci haudquaquam destiterunt, licet non haberent unde materiam sibi sumerent, et verba ampullata, prisca, casca sibi adhibeuda essent quibus inanem orationem vestirent. [1]) Exponam tibi, Lucianus adulescentulo *τοῦ ῥητορεύειν* cupido inquit, quo modo ut nunc est, tibi ascendendum sit ad summum in arte rhetorica gradum [2]). Sunt, inquit, duae viae quae ad propositum te ducent, una ardua et aspera quae non multa habet viatorum vestigia *εἰ δέ τινα πάνυ παλαιά,* qua ego quoque ingressus sum; altera via autem aequabilis et anfractum habens nullum. Utraque via habet sibi ducem, illius est vir robustus masculo vultu, qui te Demosthenis et Platonis èt aliorum quorundam monstrabit vestigia [3]) et tibi multos annos studiose et caute esse elaborandum dicet, ut summos illos saltem aliquo modo assequaris; noli autem illi quidquam credere nam vanus est jactator *καὶ Κρονικὸς*

---

[1]) Cf. MARTHA, p. 234. Ne faut il pas compâtir aux efforts de cette passion toujours vivante qui leur fait chercher partout, dans la mythologie, dans l'histoire, dans les lieux communs de la morale une matière à des discours etc. — Longe aliter judicat Lehrs de quo supra p. 59.

[2]) Rhetorum praeceptor. passim.

[3]) En iterum luculentum testimonium unde Lucianum ante omnia rhetorem semper fuisse patet, quippe qui summum virum, quem philosophum male intellexerit et perstrinxerit rhetoris nomine celebret et extollat.

ἄνθρωπος, immo potius sequere ducem viae brevioris simul et amoenioris *πάγκαλον ἄνδρα, διασεσαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα*, ad quem si accesseris rhetor eris e vestigio et *βασιλεὺς ἐν τοῖς λόγοις ἀπονητὶ* fies si modo quod vel maximum est tecum afferas inscitiam, audaciam atque impudentiam, pudorem vero aut aequitatem aut modestiam domi reliqueris. Proinde cura ut semper tecum sit *βοὴ ὅτι μεγίστη καὶ μέλος ἀναίσχυντον*, pedissequi pone multi et semper liber. Quae ad ornatum et vestitum pertinent cum diligenter perfeceris dux ille tuus tibi narrabit de vocabulis et locutionibus quae in promptu habere debes, nempe *πεντεκαίδεκά που ἢ οὐ πλέω γε τῶν εἴκοσιν Ἀττικὰ ὀνόματα ἐκλέξας ποθὲν, καὶ ταῦτα ἀκριβῶς ἐκμελετήσας πρόχειρα ἐπ' ἄκρας τῆς γλώττης ἔχε, τὸ ἄττα, καὶ κᾆτα, καὶ μῶν, καὶ ἁμηγέπη, καὶ λῷστε, καὶ τὰ τοιαῦτα καὶ ἐν ἅπαντι λόγῳ καθάπερ τι ἥδυσμα ἐπίπαττε αὐτῶν.* Cum iis vocabulis autem colligere debebis abstrusa et peregrina verba quae jaculari possis in eos qui tecum loquuntur, v. c. pro sole uti dicas *εἰληθερεῖσθαι* et pro diluculo (*τὸν ὄρθρον*) *ἀκροκνεφές*.

Eam ipsam rationem utendi abstrusis et cascis vocabulis fusius et copiosius perstrictam et traductam videmus in dialogo quem Lucianus se habuisse finxit cum homine quodam cui nomen Lexiphanis indidit, quo nomine nihil certe melius designare potuit ineptum illum magistellum qui vere «verborum ostentator» est. Lexiphanes igitur qui quidquid loquitur aut scribit eo consilio agere videtur non ut sententiam declaret verum ut eam offuscet et atra

caligine auditores circumagi sinat, Luciano obvius fit cum libro quo continetur convivii descriptio ad exemplum Platonis convivii composita (*ἀντισυμποσιάζω τῷ Ἀρίστωνος ἐν αὐτῷ*). Id autem convivium tam obsoletis tamque inflatis verbis conscriptum est ut plerumque sensus qui verbis inesse debet plane obscurus factus sit. Audi modo pauca: pro «est meridies (C. 4)» Lexiphanes dicit *ὁ γνώμων σκιάζει μέσην τὴν πόλον;* saltatrix quam omnes, opinor, *ὀρχηστρίδα* vocare solebant apud illum audit *ποδοκτύπη* (in Rhetorum praeceptore adulescentulo commendatur pro *ὀρχηστής, χειρόσοφος*). Non dicit *ἐξῆλθον* sed *ἐξέφρησα ἐμαυτόν,* calcei novi designantur nomine: *ἀφόρητα ὑποδήματα.* [1]) Quae et multa alia inepta vocabula cum apud Lucianum elocutus sit, is cui forte alia multa jure objicere possis, vanum et inanem verborum strepitum vero nunquam, medicum quendam ad Lexiphanem arcessit, qui illi potionem temperat qua cogitur evomere omnes illas quisquilias *τὸ μῶν, τὸ κᾆτα, τὸ ἦ δ' ὅς* et reliqua omnia; quo facto Lucianus jam purgato rhetori indicat justam et rectam illam rationem loquendi quam si sequeretur non a stupente vulgo magni fieret sed ab eruditis laudaretur.

Post hunc digressum quo sponte ductus sum, redibo ad Rhetorum praeceptorem: Postquam pulcherrimus ille dux adulescentulo indicavit, quibus vocabulis sit disserendum nunc idem materiem illi suggeret. Semper

---

[1]) Cf. Lexiphanes C. 2 ubi inter reliqua occurrunt haecce: *ναυστολεῖν, ἐλινύειν, ἀστράβη, ἀστραβηλάτης ἐπισπέρχω ἐγγυθήκη κ. τ. ἑ.* O saeclum insipiens et inficetum!

inquit admone Graecos gloriosarum rerum gestarum quas majores perpetraverunt: Marathonis et Leonidae et Xerxis fugae, *ἐπὶ πᾶσι δ' ὁ Μαραθὼν καὶ ὁ Κυνέγειρος, ὧν οὐκ ἄν τι ἄνευ γένοιτο καὶ ἀεὶ ὁ Ἄθως πλείσθω, καὶ ὁ Ἑλλήσποντος πεζευέσθω καὶ ὁ ἥλιος ὑπὸ τῶν Μηδικῶν βελῶν σκεπέσθω καὶ Ξέρξης φευγέτω κτέ.* Eo igitur devenit in decrepita Graecia eloquentia ēt dicendi materies ut inanes et depravati posteri majorum fortia facta magna cum vanitate et strepitu verborum prolata admirarentur, dum ipsi gravi et severa dominatione subacti ne tantillum quidem efficere possent. *Τίς πατέρ' αἰνήσει ἢ μὴ κακοδαίμονες υἱοί;* Ne forte te deficiat illa materies, sic pergit adulescentulo consilium dare *ἀπὸ τῶν Ἰλιακῶν ἀρξάμενος ἢ καὶ νὴ Δία ἀπὸ τῶν Δευκαλίωνος καὶ Πύῤῥας γάμων, ἢν δοκῇ, καταβίβαζε τὸν λόγον ἐπὶ τὰ νῦν καθεστῶτα* et id unum sedulo cura ne alter te disertior sit, quare si alius quisquam ad dicendum vel declamandum prodit, hanc unam rationem agendi tibi habeto *ἁπάντων καταγέλα τῶν λεγόντων*, et si quis bene dixerit aliena non sua proferre videatur. Neve forte putes tam grave rhetoris munus te obstringere necessitate moderate et sobrie vivendi, in privato tibi sit propositum aleatorem esse, inebriari et moechari aut gloriari certe si non feceris *καὶ γραμμάτια ἐπιδεικνύναι ὑπὸ γυναικῶν δῆθεν γραφέντα,* — Quibus si dictis moveare, brevi celeber et conspicuus fies et a multitudine bene audies. [1])

---

[1]) Parum aut nihil attinet, credo, quaerere an forte Lucianus in Rhetorum praeceptore aliquem rhetorem prae aliis odio et facetiis persecutus sit; sunt qui sub mali et inflati rhetoris

Haud dubie mihi contendere posse videor in hoc uno libello et in supra laudato Lexiphane inesse omnia, quem utrumque si diligenter perlegimus animo fingere nobis possumus rhetorem quales aetate Luciani vulgo erant. Quae testimonia ut stabiliantur obiter videamus quid apud aequales aut aetate paullum antecedentes scriptores de ea re litteris mandatum inveniamus. Admodum largus fons annotationum in ea re nobis suppeditat neque inopia testium causa haec certe claudicat.

Rhetorum ludi, in quibus pueri a teneris exerceri solebant et ipsa ars rhetorica Romae jamdudum recepta et nonnumquam etiam prohibita erat. Suetonius enim nobis servavit unum senatus consultum, itemque unum censorium edictum quo rhetores ex urbe pellerentur. Illud factum est C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala coss. (anno 161 a. C. n.) edictum autem «interjecto tempore» ut ipse ait, propositum est a censoribus Cn. Domitio Ahenobarbo, L. Licinio Crasso (anno 92. a. C. n.) [1]. Paullatim autem teste Suetonio et ipsa utilis honestaque apparuit, multique eam et praesidii causa et gloriae

---

persona Pollucem latere putent: de quo apud Philostratum mentionem (*Πολυδεύκης ὁ Ναυκρατίτης*) factam invenimus *Βίοι σοφιστῶν* II, p. 258. — Cf. Ranke, Pollux et Lucianus, p. 30 sqq. In his et talibus autem semper mihi venit in mentem Plautini illius: de iis qui omnia se simulant scire: quod quisque in animo habet aut habiturust sciunt,

quae neque fuerunt neque sunt, tamen illi sciunt etc.

Trinumm. 205.

1) Suet. de Rhetor. C. 1.

appetiverunt. Praeclari illi viri qui extremis liberae reipublicae temporibus primas egerant, debitum honorem rhetoricae arti tribuerant, «quare magno studio hominibus injecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores processerint». [1]) Postquam autem omnia ad unius nutum gesta sunt haud sane declamitantes illi rhetores erant gratiosi idemque factum videmus atque in Graecia. [2]) Inopia materiae rhetorica pristinam amisit dignitatem cum jam cuique non amplius esset licentia de iis quae quotidie fieri solerent libere dicere quid sentiret. E vita publica plane expellebatur rhetorica atque in scholae umbram se abdidit; [3]) agebantur fictae causae et vera illa antiqua eloquentia plane jacuit. Adolescentuli consilium dabant Sullae: «privatus ut altum dormiret [4])» aut dicebant «grandia morituri verba Catonis» [5]) planeque nihil, ut Petronius verissime ait, ex his quae in usu habemus aut audiunt aut vident. [6]) Vel obiter nobis inspiciendae sunt Senecae suasoriae et controversiae ut statim videamus

---

[1]) Ibid.

[2]) Cf. AD. NICOLAI, Ueber Entstehung u. Wesen des Griechischen Romans, p. 58 sqq.

[3]) Cf. Philostrat. I, 22:

ἀγῶνες νομικοί, (μελέται)
ἀγῶνες ἠθικοὶ (διαλέξεις).
ἀγῶνες λογικοὶ (λαλιαί, προλαλιαὶ)

[4]) Juvenalis, I, 16. Cf. Iuv. Sat. X, 166, VII, 150 sqq.

[5]) Persius, III, 45.

[6]) Petron. statim ab initio.

nihil inesse in iis quae aequales satyrici de ea re narrant, quod in maius auctum sit aut veritati sit contrarium. [1]) Haec apud Romanos, apud Graecos autem consimilia fere. Non illi quidquam garriebant de Sulla, de Catone, aut de Hannibale post Cannensem pugnam deliberante an statim Romam petat, verum de Demosthene post pugnam apud Chaeroneam in senatu Atheniensium verba faciente, [2]) aut de Spartano quodam popularibus dissuadente ne armis exutos a Sphacteria redeuntes in urbem recipiant. [3]) Sin autem historia relicta, in vita privata materiam quaererent proponi solebat arguta quaestio qualis haec fuit: *ὁ ἄρξας στάσεως ἀποθνησκέτω, καὶ ὁ παύσας στάσιν ἐχέτω δωρεάν· ὁ αὐτὸς καὶ ἄρξας καὶ παύσας αἰτεῖ τὴν δωρεάν.* [4])

Neque tamen admodum opus est alios scriptores adire, nam ab ipso Luciano satis diserte cognoscere possumus quid rhetores illi valerent sive ex iis quae contumeliose in illos dixerit, sive ex ipsius in rhetorica experimentis. De materia quam tractare solebant locus extat in libello *περὶ ὀρχήσεως* ubi narratur artis saltatoriae idem ac rhetoricae esse finis, scilicet *ἡ ὑπόκρισις;* apud rhetores enim, inquit, introduci solent viri fortes vel tyrannicidae vel pauperes, vel agricolae. [5]) Inter ipsius Luciani libellos

---

[1]) Cf. Senecae Controversia I, 6. III, 9. X, 3. I, 2.

[2]) Philostrat. *βίοι σοφιστῶν,* I, 22.

[3]) Ibid. I, 24.

[4]) Ibid. I, 26. Cf. praeterea I, 25. II, 4, 5, passim.

[5]) Luc. de Salt. 65.

unum offendimus cui nomen *Τυραννοκτόνος* disceptatio de homine nescio quo qui tyrannum interfecturus in arcem ascenderat, quem quidem ipsum cum non invenisset, in filii ipsius a se occisi corpore gladium reliquerat. Superveniens tyrannus conspecto filio jam mortuo eodem se gladio ipse interemit. Petit ille qui filium tyranni interfecerat praemium ob tyrannum occisum. Putida sane materia a Luciano adhuc in rhetorum disciplinis versante confecta, quod idem dici potest in *'Αποκηρυττόμενον* nec non in utrumque Phalaridem quorum alter altero est etiam inficetior et ineptior tyrannidis apologia. Neque in hoc genere praetereundum videtur *Μυίας ἐγκώμιον*, dignum quod conferatur cum Frontonis laudibus fumi, pulveris et negligentiae; [1]) sunt inter Luciani scripta juvenilia item et inter ea quae admodum senex confecit satis multae istae rhetoricae nugae quas verbo indicasse satis habeo: *Ζεῦξις ἢ Ἀντίοχος*, *Δίκη φωνηέντων*, causa privata inter literam *Σίγμα* et *Ταῦ*, *Ψευδολογιστὴς ἢ περὶ τῆς ἀποφράδος κατὰ Τιμάρχου*. Senio autem confectus conscripsit *Διόνυσος*, *'Ηρακλῆς*, *πρὸς τὸν εἰπόντα Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις*, *ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος*, reliqua quae scripta omnia si dies delevisset, non causa esset cur minore existimatione frueretur auctor. Id tamen habent illa in se boni

---

[1]) Fronto, Ed. NABER, p. 211. „Plerique legentium forsan, inquit, rem de titulo contemnant." Utinam Fronto ipse unus horum fuisset, nec quisquilias istas litteris mandasset. — Cf. de talibus *ἀδόξοις ὑποθέσεσιν*. Gell. N. A. XVII, 12, qui narrat Favorinum scripsisse inter alia laudes febris quartanae.

quod luculentius etiam quam acerbissima rhetorum irrisio in reliquis, nobis demonstrant quam inepta et inficeta plerumque rhetores proferre solerent; quae enim et his similia cum legimus libenter credimus summo aetatis imperatoriae rhetori, ubi dicit «inter praecipuas quae corrumperent eloquentiam causas fuisse licentiam atque inscitiam declamantium [1])» et rhetorum omne fatuum et ineptum genus contemnimus.

Rhetorica modo indulgentia et liberalitate principum florebat et augebatur, modo rhetores ob nimiam *παρρησίαν* exilio vel morte nonnumquam mulctabantur. Legimus Carinam secundum oratorem a. C. Caligula in exilium actum *ὅτι λόγον τινὰ ἐν γυμνασίᾳ κατὰ τυράννων εἶπεν* eademque de causa Maternum a Domitiano supplicio affectum esse. [2]) Vespasianus autem ut jam supra diximus annua centena e fisco Latinis Graecisque rhetoribus constituit. Domitianus et parum curabat studia et artes liberales, et nimiam rhetorum libertatem pessime oderat,

---

[1]) Quinctil. II, 10. — Cf. de deficiente eloquentia Tac. Dial. de Or. C. 26 sqq. — Operae pretium videtur commemorare, quo exemplum non aliud, opinor, ad nos pervenit, magis arguens ineptias sophistarum, Polemonem ad Athenienses ita dicentem. Philostrat. I, 25: *φασὶν ὑμᾶς ὦ Ἀθηναῖοι σοφοὺς εἶναι ἀκροατὰς λόγων: εἴσομαι.*

[2]) Dio Cass. 59, 20; 67, 12. Libenter rhetores exercendi gratia in tyrannos declamare solebant, cf. *Τυραννοκτόνος* apud Nostrum, cf. Juv. VII, 151, „perimit saevos classis numerosa tyrannos." Petron. ab initio „tyrannos edicta scribentes." Seneca in controversiis.

quare eos partim ejecit, partim interfecit. [1]) Paullatim autem rhetorica se recreavit et honoribus cumulata est miti Hadriani imperio, qui teste Aelio Spartiano omnes professores et honoravit et divites fecit, et in summa familiaritate vixit cum philosophis et rhetoribus [2]); minime ideo mirandum est, quod Philostratus narrat, sophistas et rhetores nonnumquam arte divites factos esse, quorum in numero fuit Heraclides qui non multum in rhetorica valuisse videtur, attamen apud Smyrnam praedium habuit cui nomen erat *Ῥητορική, γήδιον δεκατάλαντον κατὰ τὴν Σμύρναν ἐωνημένον ἐκ τῶν ἀκροάσεων* [3]) et Hippodromus Thessalus qui cum Atheniensem sophistarum cathedram per quatuor fere annos obtinuisset *ἀπηνέχθη αὐτοῦ ὑπὸ τῆς γυναικὸς καὶ τοῦ πλούτου.*

Non mihi videor pro viribus de rhetoribus aetate Luciani disseruisse nisi aliquid adjunxero *περὶ τοῦ ἀοιδίμου συλλογισμοῦ* quo litigantes et in fictis plerumque causis versantes rhetores lubentissime utebantur. Apud Nostrum semel et iterum de syllogismis eorumque vanis formis mentio fit. Chrysippus in Vitarum auctione commemorat esse nonnullas *λόγων πλεκτάνας αἷς συμποδίζω τοὺς προσομιλοῦντας*, in Convivio Hetoemocles gloriatur se syllogismo uno ora adversariorum obturare posse et in Gallo Thesmopolis *ὁ φιλόσοφος εἷς τῶν πρὸς τὰ μειράκια φλυαρούντων* identidem inter reliqua absurda quae Lucianus eum

---

[1]) Gell. N. A. XV. 11.

[2]) Philostrat. I, 8. I, 22, 3.

[3]) Phil. II, 26. Ibid. II, 28. Cf. omnino Göll. Erster Band II. Die Professoren u. Studenten der Röm. Kaiserzeit.

cum misello sutore juxta assidente locutum esse fingit, cornutum quem vocant syllogismum, recitat. [1])

Neque est quod valde miremur rhetoricas istas captiones et *σοφίσματα* ea praesertim aetate in honore fuisse et studiose esse usurpata ab omnibus qui conciso illo disputandi genere levium et parum intelligentium auditorum aures et sensus praestringere et obturare vellent. Jam *Μεγαρικὰ* illa *ἐρωτήματα* paullatim introducta erant in communem usum philosophantium cum apud Euclidis sequiores *ἡ ἐριστικὴ* in honore esse coepisset et placita defecissent. [2]) Avide autem semidocti plerumque Luciani aequales rhetores et sophistae plumbeos illos gladios arripiebant quibus inter se acriter proelia miscerent. [3]) Non arbitror quidquam esse verius simul et acrius dictum in omnem istum importunissimum gregem ineptorum et mediocriter doctorum oratorum et sophistarum quam Quintiliani verba, quibus propositis eos omnes valere jubebimus: «Tam contumeliosos in se ridet invicem eloquentia, «et qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis «judicantur.» (Lib X. 7. 21.)

---

[1]) Cf. Vit. Auct. C. 22. Symp. C. 23. Gallus C. 11.

[2]) Zeller, II, 1, p. 225.

[3]) Cf. omnino de syllogismis, (*λόγον ἐρωτᾶν*) Diog. Laert. II, 108. (Vit. Auct 22 sqq.) Cic. Acad. II, 29, 95. Senec. Ep. 45/7. Gell. XVI, 2, 9. Hor. Ep. II, 1 45. Lepidius fortasse quam verius narrat Atheuaeus Philetam quemdam unum ex iis syllogismis solvere volentem tam diu tamque intente laborasse ut inter laborem ipsum moreretur Athen. 9, 401.

Hocce opusculum, qualecumque, non perfectum et pro viribus elaboratum esse ducerem, si Luciani de rhetorum judicio exposito subsisterem neque verbo mentionem facerem de aliis vitiis, Luciani dicaci et acri ingenio notatis, de quibus autem nunc aliquid in medium proferre commodissimum mihi visum est, quod hic quoque ineptias et nugas plerasque offendimus easdem atque in rhetoribus tam acriter perstrictas vidimus: affectationem, inanem fastum atque superbiam, tumidam vanitatem, nimiam ingenii sui opinionem. Quod quum dicam primo eos appello ineptos historiarum scriptores; judicium quod de iis auctor tulit sic optime, opinor, bipartito dividere possumus, si cum historia illis praesertim temporibus artissime conjunctam esse geographiam meminerimus. Primo in lepidissimo libello *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* traducuntur ii omnes qui avide Parthico bello arrepto historiam scribere aggressi sunt a qua re alienissimi erant, quippe quibus ingenium et necessaria studia plane deessent, quique inani fastu tumentes se vel cum Thucydide comparandos esse censerent. Tum duo libri *'Αληθοῦς ἱστορίας* eo consilio conscripti sunt ut perstringatur humanae naturae semper et ubique commune vitium ut nunc est, non tam apud nostrates quam apud finitimos Franco-Gallos cognitum et vulgarissimo proverbio notatum: «A beau mentir qui vient de loin.» Exponamus autem res suo ordine. Fuit eo tempore, i. e. imperante M. Aurelio Antonino adhuc cum L. Vero, etiam Parthicum bellum, quod Vologessus paratum sub Pio, Marci et Veri tempore indixit, fugato

Atidio Corneliano qui Syriam tunc administrabat [1]); ad id bellum Varus Marci Antonini frater adoptivus missus est. Neque tamen Verus in illo bello strenuum et fortem se praestitisse videtur si quid credimus Julio Capitolino, «nam postquam in Syriam venit in delicias apud Antiochiam et Daphnen vixit armisque se gladiatoriis et venatibus exercuit dum per legatos bellum Parthicum geritur.» Si cum manco Julii Capitolini testimonio comparamus ea quae leguntur de ea re apud Dionem Cassium [2]) comperimus principem legatum, cui id bellum esset permissum, fuisse Avidium Cassium, qui *τὸν Οὐολόγαισον γενναίως ὑπέμεινε,* eumque a sociis derelictum insecutus est *μέχρι τε Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος,* deinde vastata Seleucia et incensa, regiam Vologessi quae in urbe Ctesiphonte erat, solo aequavit. Qua re bene gesta, Lucianus ait, postquam aliquanto ante gravi clade attriti essent Romani apud Elegiam, *οὐδεὶς ὅστις οὐχ ἱστορίαν συγγράφει, μᾶλλον δὲ Θουκυδίδαι καὶ Ἡρόδοτοι καὶ Ξενοφῶντες ἡμῖν ἅπαντες κτέ.* [3]) Attamen modo loqui et narrare incipiant,

---

[1]) Iul. Capitolin. Vita M. Ant. Phil. Cap. 8. Ipsi Historiae Augustae scriptores vel documento esse possunt, ad quos ineptos homunciones, historia eo tempore pervenisset.

[2]) Lib. LXXI, 2.

[3]) Luc. quomodo sit Historia conscribenda, C. 2. Non erat servile illud pecus Thucydidis ineptorum imitatorum recens et inauditum, ut probat Cicero Orator 9, C. 32. Huius (scil. Thucydidis) nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur, sed cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydides. — Cf. Verg. Catal. II, 2, *Thucydides Britannus.*

tum statim cognosces quid distent aera lupinis, namque minus felices imitatores oratione comoediae magis apta, et humi repenti nonnumquam suas quisquilias conscribere solebant; occurrebant verbi causa haecce: *Ὁ γὰρ μιαρώτατος καὶ κάκιστ' ἀπολούμενος Οὐολόγαισος ἤρξατο πολεμεῖν δι' αἰτίαν τοιάνδε* [1]. Alius desumpto gravissimo Thucydidis exordio ad litteram nominibus modo mutatis summum historicum impudentissime secutus est: *Κρεπερήιος Καλπουρνιανὸς Πομπηϊοπολίτης συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Παρθυαίων καὶ Ῥωμαίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους, ἀρξάμενος εὐθὺς ξυνισταμένου.* [2])

Rursus alius bona copia *λέξεων* ex Herodoto decerpta et in unum collecta usus est, sic incipit*Ἔρχομαι ἐρέων περὶ Ῥωμαίων καὶ Περσέων* et post pauca *ἔδεε γὰρ Πέρσῃσι γενέσθαι κακῶς κτέ.* [3]) Impense isti admirari solebant gravem illum Periclis *ἐπιτάφιον τοῖς πρώτοις τοῦ πολέμου νεκροῖς* et nihili quas edebant nugas ornari putabant si ex Thucydide descriptis vocabulis et sententiis Severianus mortuus a nescio quo laudaretur, eaque funebris oratio historiae insereretur. [4]) Parum interim curabant an rerum gestarum memoria cum fide et secundum veritatem exponeretur, dummodo aliquid conscribillarent quo gloria Romanorum et Romani imperatoris, hostium autem clades augeretur in maius. Narrabant in proelio apud Europum

---

[1]) Ibid. C. 14.
[2]) Ibid. C. 15.
[3]) Ibid. C. 18.
[4]) Ibid. C. 26.

facto quo Parthorum exercitus fusus fugatusque esset *τῶν μὲν πολεμίων ἀποθανεῖν μυριάδας ἑπτὰ καὶ τριάκοντα καὶ ἓξ πρὸς τοῖς διακοσίοις, Ῥωμαίων δὲ μόνους δύο καὶ τραυματίας γενέσθαι ἐννέα.* [1]) Adde quod ineptiae istae conscribi solerent, modo oratione ficta et fucata qua rhetores uterentur, ita ut lectoribus obtruderentur: *τὸ τεῖχος δὲ πεσὸν μεγάλως ἐδούπησε* et *Ἔδεσσα μὲν δὴ οὕτω τοῖς ὅπλοις περιεσμαραγεῖτο καὶ ὄτοβος ἦν καὶ κόναβος ἅπαντα ἐκεῖνα* [2]), modo autem sententiae de trivio sumptae immiscerentur et prorsus cum Luciano facies, ubi historias istas comparat cum histrione tragico altero pede alto cothurno nitente dum alterum sandalis devinctum habet.

Ite hinc, inanes, ite rhetorum ampullae,
inflata rore non Achaico verba.

Venio nunc ad secundum vitium non minus acerbe a Luciano in aequalibus qui historiae darent operam notatam: nimiam vaniloquentiam et impudentissimum mentiendi studium. Quod ut melius perstringeret et «Graeciam mendacem in historia» superaret, Lucianus ridiculos illos libellos conscripsit qui sub nomine *Ἀληθοῦς ἱστορίας* feruntur, in quibus se ad mendacia confugisse confitetur *πολλῷ τῶν ἄλλων εὐγνωμονέστερον, κἂν ἓν γὰρ δὴ τοῦτο ἀληθεύσω λέγων· ὅτι ψεύδομαι.* [3]) Statim ab initio in primo libello nominatim citat eos quos praesertim significare vult.: Ctesiam Ctesiochi filium Cnidium qui ea literis mandavit de India *ἃ μήτε αὐτὸς*

---

[1]) Ibid. C. 20.
[2]) Ibid. C. 22.
[3]) Verae Historiae, I, 4.

εἶδε μήτε ἄλλου εἰπόντος ἤκουσεν, et Jambulum qui περὶ τῶν ἐν τῇ μεγάλῃ θαλάττῃ πολλὰ παράδοξα conscripsit [1]) et omnium mendacium historicorum principem, Homerum in Odyssea. In secundo praesertim libello, quem ad caput de philosophis jam semel et iterum laudavimus fictam et inauditis rebus plenam itineris descriptionem nobis exponit, cuius itineris prodigiosa miracula et lascivos jocos hic pluribus referre animus non est, partim quod jam pridem ea inde decerpsimus quae valeant ad philosophos ludificandos, partim quod reliqua hoc tantum nomine ad propositum nostrum faciunt quod inde colligere possumus quem ad finem nimium istud mentiendi studium sese jactare soleret. Simul igitur ut vanos istos historicos perstringat conscripti videntur duo τῆς ἀληθοῦς ἱστορίας libelli et ut ansam ad complura alia reprehendenda capiat; de philosophis jam supra vidimus; at etiam criticam artem non nihil esse arrosam suspicor. Nempe auctor fingit se Homero obvium factum esse quem interrogat pauca περὶ τῶν ἀθετουμένων στίχων. Homerus affirmat se omnes istos addubitatos versiculos scripsisse; κατεγίγνωσκον, Lucianus inquit, οὖν τῶν ἀμφὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον γραμματικῶν πολλὴν τὴν ψυχρολογίαν. [2])

Lucianum autem multo sale defricuisse mendacissimum quemque historicorum non est quod valde miremur si paullo accuratius inspiciamus quid aequales et bona pars

---

[1]) Cf. omnino de illis libellis: Schöne Halle 1838. Erwin Rohde Uber Lukians Schrift Λούκιος ἢ Ὄνος, p. 21, 22.

[2]) Verae Historiae II, C. 20. Cf. de Calypsus epistola II, Cap. 35.

superiorum scriptorum auderent in historia atque ἐν γεωγραφουμένοις parum eruditis auditoribus et lectoribus pro sanis et veris venditare solerent. Nam ut praetermittam Herodotum, qui ubi mira et inaudita de Aegypto praesertim traditurus est caute admodum vestigia ponit et semper suum κατάπερ οἱ ἱρέες ἔλεγον adjicit, quorum narrationes numquam fere non addubitat et redarguit, apud Luciani aequales, et aetate paullum antecedentes, Strabonem, Plinium, Tacitum quoque nonnumquam tamquam vera et certa ea saepe nobis traduntur, quae hodie vel pueris risum moverent. Gellius narrat quaedam non injucunda quae invenit in libris miraculorum fabularumque plenis, quos Brundusium adveniens plurimos parvo emerat.[1]) Haec tamen tolerabilia et vix quae memorentur digna videntur prae libro Antonii Diogenis, cuius epitome nobis a Photio servata est. In ea epitome libri cui titulus est τῶν ὑπὲρ Θούλην ἀπίστων λόγοι κδ' inter alia inepta vel hoc ineptissimum est quod auctor declarat: ὅτι εἰ καὶ ἄπιστα καὶ ψευδῆ πλάττοι, ἀλλ' οὖν ἔχει περὶ τῶν πλείστων τῶν αὐτῷ μυθολογηθέντων ἀρχαιοτέρων μαρτυρίας ἐξ ὧν σὺν καμάτῳ ταῦτα συναθροίσειε.[2]) Illum autem et omnes eiusdem farinae acutissimis

[1]) Cf. Gell. N. A. IX, 4. — Strabo passim Lib. XV et praesertim 711/57. Haec autem de remota India, at Tacitus de Brittannia ann. II, 24 (narrabant) vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas, *visa* sive ex metu *credita*.

[2]) Hercher, Erotici scriptores Graeci I, p. 233 sqq. De aetate ipsius Antonii Diogenis. Cf. Erwin Rohde, p. 19 sqq. Ad. Nicolai, Ueber Entstehung u. Wesen des Griechischen Romans, p. 44.

telis vulnerari, qui serio perhibere possint se nugas istas et quisquilias σὺν καμάτῳ consuere, praesertim a tam faceto tamque acuto scriptore qualis Noster fuit, laeti accipimus et libenter ob eam festivam ineptissimae rei parodiam condonamus aliquid siquid in eodem libello parum decorum in summos philosophos dixerit.

Si paucis verbis tempus quo Lucianus vixit complectimur, et omnia quae hoc specimine continentur brevi in conspectu ponimus vel hoc sine controversia proferre audemus, omnia fere degenerasse et depravata esse a pristina dignitate. Res sacrae atque divinae, philosophia, eloquentia, boni mores omnia denique erant in peius mutata atque corrupta, et magna vis morbi veluti tabes fere omnia invaserat, non color vegetus in vultu, verum is habitus oris ut jam ex oculis eluceret depravatio et lues quam totum corpus contraxerat. Non Caesarum munificentia in suum debitum honorem atque integram dignitatem scientiam atque disciplinas restituere potest, non mercede e fisco docentes philosophi atque rhetores animi ingeniique cultum augere valent, speciem tantum externam doctrinae afferre possunt, quemadmodum ineptus ille homuncio in splendida atque bene instructa bibliotheca sedens, vanam doctrinae ostentationem prae se fert, revera autem ἀπαίδευτος et est et manet quamvis ingentem librorum copiam sibi comparet ut apud M. Antoninum literarum munificentissimum fautorem gratiam ineat. [1]) In poesi quoque

[1]) Cf. πρὸς τὸν ἀπαίδευτον κτέ passim et praefationem huius libelli apud SOMMERBRODT III, p. 116.

eandem depravationem cernimus, male teste Juvenali poetae esuriebant, nisi venderent mimis poemata [1]) et summa cura, ut Seneca affirmat, laborabatur ne cujus libet pantomimi nomen intercideret [2]), quin saltandi arte exprimebantur omnia quae antea poematis et carminibus ederentur; neque id satis: mimum, ut Lucianus docet, oportet esse philosophum, historicum, eum denique cui omnia diligenter ediscenda sint ab origine mundi usque ad Cleopatrae mortem. [3]) Ea arte, cui antea nemo fere operam dedisset sobrius nisi forte insaniret, nunc exprimi solebat *ἡ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος μοιχεία* immo vero Pythagorae philosophia [4]). Neque vero *ἡ ὀρχηστική* solum in artium summopere colendarum numerum relata est, *ἡ παρασιτική* quoque pro arte habebatur cuius Lucianus praecepta nobis tradidit sub persona ineptissimi, simul et abjectissimi parasiti qui se haud minus arte sua gloriari profitetur quam Phidias statua Jovis Olympiae posita [5]), eamque ut reliquas artes ita definit *τέχνη ἐστὶν σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ* simulque docet summos in antiqua Graecia homines hanc artem coluisse et in honore habuisse [6]). Praeclara

---

[1]) Juv. VII. 87.
[2]) Senec. Nat. Quaest. VII, 32. Cf. Göll. I, Aufsatz 8.
[3]) Cf. Lib. *περὶ ὀρχήσεως* passim, C. 38, 39.
[4]) Ibid. C. 63. C. 70. Cf. Athenaeus Deipnosoph. I, 36 in fine.
[5]) *Περὶ παρασίτου*, C. 4.
[6]) Cf. Ibid. C. 32. C. 48.

illa antiquitatis columina quae amplum aedificium fulserant et sustinuerant, collabefacta corruebant simul cum ipsa domo, fuerunt qui ruinam animo praeciperent et timerent, vulgus autem peregrinos cultus et ritus avide arripiebat ad quos tamquam ad portum tranquillum confugere et se recipere solebat. Neminem arbitror verius et elegantius miserum illum rerum statum depinxisse quam C. Martha Vir Cl. ubi dicit: «La littérature elle-«même périra et sera réduite aux banalités de l'ignorance «et aux légèretés du dédain. Ce qui reste de talent est «consacré à la satire. Le dernier grand poète de Rome, «Juvénal, le dernier écrivain de la Grèce, Lucien, sont «également des satiriques. Le monde ancien n'a plus de génie «que pour se condamner ou pour se moquer de lui-même. «Cette satire universelle contre les dieux, les héros, les «sages, constate la décadence et la précipite. Car pour «les sociétés comme pour les individus, le dernier degré «de la chute est le mépris de soi-même. Bientôt une «nouvelle lumière attirera ces esprits désabusés et le «christianisme n'aura plus de peine à recueillir ce monde «qui défaille et s'abandonne.» [1]).

---

[1]) C. Martha, Les moralistes sous l'empire Romain, p. 384.

THESES.

THESES.

I.

Lucian. Charon. Cap. 2.

σὲ δὲ καὶ αὐτὸν κωλύσει ἐ ν ε ρ γ ε ῖ ν τὰ τοῦ θανάτου ἔργα καὶ τὴν Πλούτωνος ἀρχὴν ζημιοῦν μὴ νεκραγωγοῦντα πολλοῦ τοῦ χρόνου.

Lege: *ἀργεῖν.*

II.

Lucian. Icaromenipp. Cap. 14.

τί δ' οὖν πτέρυγι καὶ ὀφθαλμῷ [*κοινόν ἐστιν*]*;*

Dele verba inclusa.

III.

Lucian. Deorum dialogi. XX, Cap. 7.

Φέρ' ἴδω τί καὶ βούλεται. Η ΚΑΛΗ, φησί, ΛΑΒΕΤΩ.

Lege: *ἡ καλλίστη.*

IV.

Luc. Iup. Tragoed. Cap. 41.

τοὺς πονηροὺς δὲ καὶ κατὰ σὲ τὴν ἀσέβειαν ἐπιτρίβοντας.

Post vocabulum *ἀσέβειαν* inserendum mihi videtur: *ὄντας.*

V.

Alciphron. Lib. II, Ep. 3, § 11.

Menander ad Glyceram ita scribit:

ποῦ γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ ὄψομαι . . . . . τὰ μυστήρια, τὴν γειτνιῶσαν Σαλαμῖνα, τὰ στενά κτέ.

Restitue: *τὰ σκέλη.*

VI.

Epictet. Diss. IV, 7, 6.

Εἶτα ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις οὕτω διατεθῆναι πρὸς

ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθους [οἱ Γαλιλαῖοι.] ὑπὸ λόγου δὲ καὶ ἀποδείξεως οὐδεὶς δύναται μαθεῖν, ὅτι ὁ θεὸς πάντα πεποίηκε τὰ ἐν τῷ κόσμῳ.

Vocabula inclusa, emblema a nescio quo Christianorum osore in margine annotatum, ejicienda esse censeo.

VII.

Epictet. Diss. III, 22, 73.

Σὺ πυρέττεις, σὺ κεφαλαλγεῖς, σὺ ποδαγρᾷς· σὺ ἀνάτεινον, σὺ φάγε, σὺ ἀλούτησον.

Postulat ratio: tu cibis abstine, ergo pro *ἀνάτεινον* legendum: *ἀσίτησον.*

VIII.

Philostrat. Vit. Sophist. I, 25, 21.

ὑπήγετο δὲ καὶ ὁ Πολέμων τῷ δασμῷ τούτῳ νέος ὢν ἔτι καὶ οὔπω νοσῶν.

Lege: *οὔπω ὀνομαστὸς ὤν.*

IX.

Ovid. Fast. IV, 831.

Longa sit huic aetas *dominae*que potentia terrae.

Lege: *domitaeque.*

X.

Persius, V, 90.

Excepto si quid Masuri rubrica *vetavit.*

Lege: *vetabit.*

XI.

Livius, Lib. XXI, Cap. 2.

Medius Hasdrubal inter patrem ac filium octo ferme annos imperium obtinuit, flore aetatis, uti ferunt primo Hamilcari conciliatus, gener inde ob *aliam* indolem [profecto] animi adscitus.

Pro «*aliam*», lege: «*altam*» et dele «*profecto*».

XII.

Gell. N. A. XVI, 4, 5. Ed. Hertz.

Item in eodem libro verba haec sunt: Miles cum die, qui prodictus est, aberat neque excusatus erat, *infrequens dabatur.*

Lege: *infrequens diruebatur.*

XIII.

Nepos, Eumenes. Cap. 10.

Ipse autem Antigonus adeo *erat* incensus, ut nisi magna spe maximarum rerum leniri non posset.

Vocabulum *ira* excidisse arbitror, itaque legendum: IRA ERAT incensus.

XIV.

Cic. ad Fam. V, 12. (Lucceio).

Neque tamen, haec quum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum et jam institutarum: sed quia videbam Italici belli et civilis historiam jam a te paene esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes TROICUM bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi bella separaverunt, tu quoque item civilem conjurationem ab hostilibus externisque bellis sejungeres.

Quia Callisthenes scripsit *περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου* legendum videtur: Callisthenes PHOCAÏCUM bellum.

XV.

Curtius de Gestis Al. Magni IV, 13, 47.

Parmenio, peritissimus inter duces artium belli, furto, non proelio opus esse censebat: intempesta nocte opprimi posse hostes: discordes moribus, linguis, ad hoc *somno* et improviso periculo territos, quando in nocturna trepidatione coituros?

Post *somno* unum vocabulum excidisse videtur. Insere: *graves*.

XVI.

Catull. Carm. 14, 8.

Quod si, ut suspicor, hoc novum ac *repertum*
Munus dat tibi Sulla literator,
Non est mi male, set bene ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.

Lege: *refertum*.

XVII.

Luc. de Saltatione, Cap. 25.

ὁ Σωκράτης καὶ παρ' ἑταίρας γυναικὸς οὐκ ἀπηξίου σπουδαῖόν τι ἀκούειν [*τῆς Ἀσπασίας*].

Vel loco patet emblema.

XVIII.

Luc. Iup. Tragoed. Cap. 15.

Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ θεοί, μονονουχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς ὅτι τῶν π α ρ ό ν τ ω ν ἐρρωμένως ἀντιληπτέον ἡμῖν ἐστιν.

Desumpta haec sunt ex Demosthenis prima Olynthiaca, quare lege: *π ρ α γ μ ά τ ω ν.*

XIX.

Luc. Timon. Cap. 28.

Ὑπὸ δὴ τούτων ἁπάντων καταληφθεὶς τὴν ψυχὴν θαυμάζει τε τὰ οὐ θαυμαστὰ καὶ ὀρέγεται τῶν φευκτῶν κἀμὲ τὸν πάντων ἐκείνων πατέρα [τῶν εἰσεληλυθότων κακῶν] τέθηπε δορυφορούμενον ὑπ' αὐτῶν.

Dele verba quae uncinis inclusi.

XX.

Luc. Adv. Indoct. Cap. 6.

In Asia dives aliquis *ἐκ συμφορᾶς ἀποτμηθεὶς τοὺς πόδας ἀμφοτέρους* ligneos sibi pedes faciendos curavit et semper id agebat *ὡς καλλίστοις ὑποδήμασι κεκοσμημένα εἴη αὐτῷ τὰ ξύλα, [οἱ πόδες δή].*

Dele verba inclusa.

XXI.

Libellus, cui nomen *Demonactis Vita*, Luciano abjudicandus est.

XXII.

Toute recherche qui n'aboutit pas à la connaissance de Dieu, du monde ou de l'esprit, est une fatigue stérile et vaine. Si l'étude de l'antiquité et de l'histoire mérite de nous occuper, c'est qu'elle nous fait connaître à nous-mêmes. Dans les sciences philologiques, le critérium de l'utilité d'une connaissance n'est autre que sa valeur psychologique. L'esprit n'y doit chercher que l'esprit.

Salomon Reinach.

Manuel de philologie classique.



EX TYPOGRAPHEO H. P. DE SWART ET FILII.

